



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

18. Hamelmannus & Domannus pro VWestfalia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

dicerim ferrum. Hæc in mensa, vis etiam lectum plane electum le-
 Æicæ pleræque in ordinem ad utrumque latus, juxta eas vacca,
 equi, vituli, supra pulli & gallinæ, subter [testor fidem] porci; de
 pulvino aut linteis oro te, noli querere. Mendicorum nostrorum
 tegetes longe meliores ac puriores aut centones. Itaque per dies
 totos octo vestem non deposui. Jam illud corollarium pulchrum:
 quod duas noctes dormivi in aperta navi sive cymba in *Hartha* flumi-
 ne, sub puro Jove, idque cælo pluvio & ventoso. Postac tamen
 omnia viva jocosa habet: quid aliud mihi libeat natali die, nam de
 morbo absit ut te consulam, male perierit ille in mala via. Tu sal-
 ve voveo idem *Holmanno, Beima, Bontio*, collegis meis. *Embda*, xxx.
 Cal. Novembris, CIO IO LXXXVI.

Carmen pro methodo tua habes, sed quod non dubie olebit hanc
 gentem.

PETRO COLVIO.

Appello te, mi *Colvi*, ultro libet & vacat: illud ob amorem, hoc
 ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hic, in quo
 indulo, teneor *Oldenburgi*, inter homines semi homines, id-
 que vi sine metu nostrorum equitum, qui circumfusi, nostri genus, &
 quam nec Musis nec Mercurio parcant, utique si iis bulga ita iter
 nostrum protollitur & bene si non tollitur superventu nigra hyemis
 quæ & ipsa adæquitat, videbo, & quod Deus ille dabit, feram. Sal-
 ve mi *Colvi*, ut dixi. Nonis Octobris, CIO IO LXXXVI.

APOLOGIA HERMANNI HAMELMANNI,
 Pro illustribus & inclytis Comitibus Altenburgicis, & pro
 honestis ac industriis Urbis Altenburgicæ civibus & totius
 regionis incolis, contra virulentas Justi Lipsii calu-
 mñas atque injurias.

Inclyto & summæ spei generosissimæque indolis Comiti juniori ac
 Domino, Domino *Antonio Günthero*, Comiti Altenburgensi & Del-
 menhorstano, Dynastæ in Jhever, &c. Illustris ac magnanimi Herois ac
 Domini, *D. Joannis*, Filio & unico hæredi &c. suo Domino benignissimo
 salutem in Christo Jesu dicit & divinam benedictionem à Deo patre
 per Christum precatur HERMANNUS HAMELMANNUS.

Illustris & maxima spei Generosissimaque Indolis Comes, *Antoni Gün-
 there!* Domine mihi benignissime, postquam tuos Inclytos Majores &

illustres atavos, proavos, abavos, hoc est, laudatissimos Comites Aldenburgicos, & honestos vestros subditos, nempe cives vestra Aldenburgicæ civitatis, qui se erga omnes admodum humanos præbent, cum hac ipsa adeo urbe Aldenburgica & tota vestra regione, palam in publicis scriptis aliquoties excusis & recusis, traductos, summis calumniis gravatos & extremis convitiis toti mundo à Justo quodam Lipsio expositos viderem; non potui mihi etiam in hac mea senectâ & canitie, temperare, quin justa apologia, eaque admodum brevi tam celebres Principes, vestros inquam Majores & Proavos, tum quoque Illustres Dominos nostros, ut vestrum parentem D. Joannem, & patruum vestrum D. Antonium, Heroes, pietate, prudentia, integritate, & judicii rectitudine non minus quam Illustri Genere excellentes & mihi clementissimos Dominos, imo hanc urbem vestram, ejusque cives adeoque omnes vestros subditos, semper vestris Majoribus & vobis fideles, justissimè defenderem.

Maximam sanè injuriam facit Aldenburgicis nostris, tam Dominis, quàm subditis Justus Lipsius, idque in publicis scriptis. Ideo hujusmodi calumnia admodum virulenta meritò refutari & solidis rationibus dilui debebant. Quod etiam placuit vestro Illustri parenti & Inclyto Heroi ac Domino, Domino Johanni, Comiti Aldenburgico & Delmenhorstano, Dynaste in Jhever, Principi meo observandissimo, præsertim cum jam tertia vel quarta etiam vice suas Epistolas in diversis locis excudi curaverit & publici juris fecerit, unde lippis & tonsoribus satis constat, quod pertinaciter in suo priori proposito perseveret Lipsius.

Ut autem Sexagenarios de ponte deiciendos plerique censent, ita sine dubio mecanum & emeritum jamjam atatis sexagesimum sextum attingentem, omnibus propter rudiatem dictionis deridendum per sua scripta exponet, & sane me propter incultum stylum cum pueris balbutientem, naso suspendet adunco.

Sed quid non fecit maximis viris? quid ignominia non intulit luminibus rei literaria amplissimis & clarissimis?

Marcus Tullius Cicero ab Atticis est reprehensus Oratoribus, ut à Bruto, Hortensio & aliis, qui concisius loquebantur. Ideo Ciceronem, ut redundantem reprehenderunt, quod Asiatica illa ubertate & copia laboraret. Simili ratione etiam hodie reprehenditur à Lipsio. Verum de Cicerone dixit Quintilianus: Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Hoc ipsum repetit Lipsius in suis epistolis, dicens: Quod de Tullio dixit verus magister, profecisse multum, cui is placeret, ego verius, magnum

gnum esse, cui Julius iste [Scaliger] magnus. Sed Joachimus Camerarius, quem etiam inter doctos viros recenset Lipsius, sic prolixè scribit de Cicerone: Ego me puerum hoc audire memini de doctissimo viro, cuius summis in me meritis animi grati memoria debetur & præstatur perpetua. M. meo Georgio Helto Vorchemio, cum Hermanni Balchii, quo tempore ille Lipsiæ aliquando fuit, promptam & expeditam elegantiam, quæcunque de re & quocunque in negotio verba faciendi admiratus interrogasset eum, quam maxime rationem in illa sibi paranda secutus fuisset, respondisse tunc illum, legendis & relegendis Ciceronis epistolis, &c. Illa Camerarius præclarus de Cicerone sensit, quam Lipsius.

Lipsius etiam reprehendit Christianum illum Ciceronem, nempe Lactantium, quod in ipso graviter carpit Theodorus Coornherus. Idem Lipsius alibi pungit M. Jacobum Christmannum, Professore Heidelbergensem, sed is se Lipsio per publicum scriptum purgat: Lipsius quoque per omnia Aristotelem & Melanchtonem non probat.

Quid multa? perveniamus ad nostra ætatis viros clarissimos, Eras- mum Roterodamum, Petrum Bembum, Petrum Ramum & similes, quos omnes ille parvi facit.

Erasmus sperat cum suis scriptis interiturum esse: sed Joannes Sturm- ius de illo aliter scribit: Fuit in Erasmo, ait, incredibilis memoria, plurimarum & maximarum rerum doctrina, orationis mirabilis facultas & copia. Et rursus: Quis etiam illo tempore, quo Erasmus scribere cepit, acutius judicavit? Quis etiam copiosius & politius scripsit? Cujus exempli atque autoritate non solum Germania, sed etiam Gallia, Italiaque partim excitata, partim confirmata, habuit & patronos & studiosos literarum. Sed neque Longolius, neque ante Longolium Bembus, & in eadem ratione, ut opinor, hoc tempore major Bembus, ad hanc laudem pervenissent, si his, quæ in Erasmo admiramur, fuissent destituti, &c. Petrus Mosellanus dicit: Erasmus omnium, quos sol vidit, doctissimum: David Chytraeus scribit de Erasmo: Erasmus Roterodamus, vir ingenii & doctrina ac eloquentia incomparabilis, ac de studiis linguæ ac græcæ ac totius Theologiæ optime meritus.

De Bembo, cujus laudes prædicat Sturmius, sic audeat scribere Lipsius: Stylum Bembi [quem omnes docti ante annos quinquaginta celes- bant politum, elegantem & tersum] ait, esse supinum, languidum & affe- ctata imitatiuncula fractum. Quid scribit de Petro Ramo Lipsius, quem tamen hætenus omnes, tam in Germania, quam alibi, viri docti amira-

ii sunt? Nunquam, ait, erit magnus, cui Ramus est magnus, &c.
 Si igitur me homuncionem & in re literaria balbutientem, qui non
 sum dignus, ut cum tantis & tam magnis viris, quos tam iniqua censura
 Lipsius excipit, comparer, pari tamen modo tractabit, parum retulerit.
 Nam & Dares aliquando contra Entellum prodit. Si literariam elegan-
 tiam & dictionem puriorem non assequar, agnosco equidem & vere agnosco,
 quam sit mihi domi curta suppellex.

Quicquid autem factum est à me, in gratiam patrie communis, &
 Aldenburghensium nostrorum factum censeat lector: Facta est alea pro pa-
 tria, pro aris focusque pugnandum: ideo feci quod debui: simplex veritatis
 oratio. Veritatem dico & qua vera sunt, profero.

Habes jam Generosissime Domine hanc sententiam, ideo hanc brevem
 Apologiam, pro tuis rudi stylo scriptam, Tuo Illustri Nomini consecro, ut
 etiam post mea fata, omnium tuorum Aldenburghensium, atque etiam
 meorum, patrocinium suscipias, illiq; habeant ex hoc Apologetico, quo se
 apud exteros contra morsum Lipsii defendam & contra ejus latratum tueantur.

Inste, Inclyte Comes, Majorum tuorum vestigis, praesertim atavi,
 D. Theodori, Proavi, D. Gerhardi, Abavi, D. Joannis, Avi, D.
 Antonii, & tui Patris & Patru Comitum Aldenburghensium & Del-
 menhorstianorum, Heroum perpetua memoria dignissimorum, quibus
 etiam adjungo vestrum patrum magnum, Comitem Christophorum bel-
 lico Marte, usu rerum ac lectione & cognitione historiarum magnum.

Christus Jesus, quod in te, Generosissime Domine, incepit, per Spiri-
 tum suum perficiat ad gloriam nominis sui & ad tuam salutem atque to-
 tius patrie dittonis sic satis ampla profectum, teque in salutare organon &
 nutritorem verae sua Ecclesiae, atque utilem gubernatorem harum dittonum,
 atque etiam Jheveranae evehat, ut sicut sub tuo preceptore eruditissimo &
 integerrimo, M. Hermanno Velstenio, meo affine, compatre & amico, fe-
 liciter incepisti, ita utilem in literis & artibus progressum facias, quod &
 utrique parenti tuo, Illustri D. Comiti Joanni, & generosissima Domina,
 Elizabetha, Comitissa de Schwartzburg, &c. imprimis gratum erit. In
 eodem Christo Jesu feliciter vale, &c. Data Aldenburghi, eo ipso die, qui
 tuo Illustri & Inclyto parenti, & vobis Generosis ipsius Liberis, & nobis sub-
 ditis, fuit dies fausti & lati nuncii, quando sententia in revisione Bruxellensi,
 17 Novembris publice pro parente vestro, Clarissimo & laudatissimo Comite,
 Domino Joanne, Comite Aldenburghensi & Delmenhorstano, in contro-
 versia Jheverensi pronunciata, ut perpetuus Dominus dittonis Jheveranae

Nnn nnn

fit,

fit, huc 26 Novembris allata est. Quo nomine omnes letamur & Deo optimo maximo gratias per Christum Jesum agimus. Sit benedictus pater, sit benedictus filius Dei, sit benedictus Spiritus Sanctus, per omnem aeternitatem semper celebrandus, Amen, Amen. In exitu anni Domini MDLXXII.

APOLOGIA.

Et si *Justus Lipsius* de re literaria optime meritis, atque multo ante multos annos istius humanitatem & modestiam non minus, quam excellentem ipsius doctrinam prædicarunt, imo ipse *Lipsius* de semet ipso & de sua placiditate aliquoties scripsit: *Natura mea, inquit, consuetudo, valetudo ab omni litigio; Etsi me noſti, ſcito, non eſſe pacatius ingenium in Batavia noſtra; Et rurſum: Natura mitis ſum & lenis erga omnes; Item: Sum natura in omnes benignus; Sæpe etiam in epistoſis hortatur amicos, ne ſtringant calamum in alios, ſed modieſtiæ ſtudeant, & alibi gloriatur: Se ab omni vindicta abeſſe, ut etiam ab ira; Ex ſe malum in malum eſſe nunquam; Tamen hujus ſuæ modieſtiæ oblitus in noſtros *Aldenburgicos* Principes, in noſtros cives, & in totam *Aldenburgicam* civitatem, regionem & gentem, quid *Aldenburgicam*? imo in totam & quidem ampliſſimam *Weſſalia* provinciam, & in utriusque regionis incolas iniquus eſt & petulans, adeo, ut jam tertia aut quarta ſuarum epistoſarum editione & *Aldenburgicos* & *Weſſalos* ſimul palam & publice tam turpiter, tam ignominioſe in publicis ſuis epistoſis, terve quaterve in diverſis etiam locis excuſis, deformet exquiritis convitiis & in priori ſententia maneat nihilque in iſtis mutarum velit: Ideo ipſius manifeſtæ calumniæ, eæque magnæ & atrocis, me ſenem & emeritum protrudunt in publicum, ut incernitere nequiverim, cum maneat in una eademque ſententia, quæ ratione patriæ, tum ratione officii & propter conſcientiam, tum etiam propter honeſtam famam [inquit enim Poëta:*

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento

Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.]

noſtros *Aldenburgicos* firmis tandem & certis argumentis contra totas & ſæpius repetitas calumnias *Lipſii* injuſtas juſtiſſime defendere. Sed audiamus prius *Lipſii* verba. In centuria 2. Epistoſa 12. vocat urbem *Aldenburgicam* oppidulum; Epistoſa 13. ſcribit: *Aldenburgi* mi *Douſa*, ſum, ubi malum illud, inquires, oppidulum eſt in *Wefſ.*

Westfalia, tertio lapide à *Brema*, ibi me tenent equites nostri, omnia molesta in hoc tempore. Hic, quî inquiram, in *Scytharum* eremia mihi videor, nec inter homines satis certo: Omnes hic *Suillii*, *Scrofae*, porci, & uno verbo, tui *Hermanni*: ò *Batavia*! ò amiculi! vos mihi in mente, ad vos adspiro; Et in fine: In *Barbaria* apud *pultiphagos*; Epistola 14. *Aldenburgum* ecce veni, distat tertio milliari ab ea urbe [*Brema*] & undique nos cingunt equites, qui in *Belgium* parantur. Manendum in illo nidulo fuit; Et in fine: *Aldenburgi*, ex hara, quam hospitium appellant; Epistola 15. Est ita *leoptice* & ironice stricta & directa, tam in *Aldenburgicos* quam *Westfalos*, quasi *invectiva* vehemens, ut nihil asperius in ipsos & de ipsis potuisset scribi; Epistola 16. Hic [in quo nidulo?] teneor *Aldenburgi* inter homines, semihomines, idque vi sive metu nostrorum equitum, qui circumfusi, &c.

Spongia *Hermanni Hamelmanni*, adversus aspersiones *Justi Lipsii*.

Audivimus, quæ ex pacato & placido suo ingenio mitis & erga omnes lenis [scilicet] *Justus* ille, imo *Injustus Lipsius*, pro sua modestia, non dicam *protervia*, toties & tam sæpe contra *Illustres Comites Aldenburgenses*, contra urbis *Aldenburgica* cives, & totius regionis incolas, qui *Lipsium* nulla unquam injuria affecerant, ex ingenio suo sic satis maligno & non placido, protulerit. Cognovimus, quomodo *Aldenburgicos* & *Dominos* & *subditos* publicis suis scriptis, in diversis locis per typos evulgatis, & per multa millia exemplarium per orbem terrarum dispersis, exceperit, quanta etiam injuria ipsos affecerit. *Justissimo* ergo zelo actio injuriarum gravis contra *Lipsium* instituitur.

Quid autem jura referant de hujusmodi crassis & quidem publicis injuriis, quæ & *Principes* & *subditos*, adeoque totam gentem, concernunt, ipse gloriosus *Lipsius*, qui vult *Jureconsultus* haberi, & novit & legit.

Legatur in *Codice*, *Lege unica de libellis famosis*. Legantur *Joachimi Mynsingeri* observationes, observatione 4. *Centuria* 4. in consiliis *Wesenbecii* consilio *LL. de injuriis & famoso libello*, numero 15. atque *Lege lata*, de verborum significationibus: item in *ordinatione criminali Caroli V. Cap. 110.*

Etsi *Lipso* antea per *Johannem Domannum*, *Jureconsultum* erudi-

dite responsum est, tamen cum hoc magis scriptum pro *Westfalia & Westfalis* sit publicatum, quam pro *Aldenburghicis*, requirit itaque illustrium meorum Comitum autoritas, requirit civitatis *Aldenburghica* aestimatio, postulat etiam hoc totius ditionis *Aldenburghica* reputatio, ut cum autore ipso, qui publicis injuriis innocentes contra verbum Dei, contra jus scriptum, contra jus gentium, contra Christianam charitatem, contra omnem æquitatem & honestam humanitatem, affecit, publice etiam exoptulem, & legitimo jure eorum illustribus *Batavia* Statibus, aut si forte ibi non amplius ageret, eorum illusterrimo ordinario Magistratu, sub quo modo vivit, imo eorum toto mundo procedam contra ipsum, protestans interim de tanta injuria nostris inclytis Comitibus illata, protestans etiam de calumniis auctoris *Lipsii*, huic urbi *Aldenburghica* & hujus ingenuis civibus, imo toti ditioni & genti *Aldenburghica* satis atrociter irrogatis, idque omni meliori forma, nota & solennitate, qua id de jure fieri possit. Hanc enim injuriam ad animum revocamus, quia atrox & intolerabilis est.

Dicat *Lipsius*, qua ratione omnes *Aldenburghicos* absque ulla aliqua exceptione tam injuriose proscindat; nescit forsitan *Lipsius*, nostros *Aldenburghicos* Comites ex antiquissimis Regum Saxonie familiis esse prognatos; nescit forsitan, nostros illustres Comites semper magnanimos, bellicosos & celebres fuisse & adhuc esse Principes. Sed si hoc nescit, non patrum monumenta legit.

Horum magnanimorum Comitum honorificam ante annos ferme quingentos facit mentionem *Helmoldus*, Presbyter, in suo *Slavorum Chronico*, & ante annos quadringentos, eorundem meminit *Arnoldus*, Abbas, in supplemento Chronici *Slavorum*, & de his inclytis Heroibus præclare ante annos propediem quadringentos scribit Abbas *Stadensis*, *Albertus*, cujus Chronicon ante paucos annos est editum. Nec præterit hos in suo *Cosmodromio* *Gobelinus*, persona Decanus *Bileveldensis*, qui ante annos fere trecentos vixit. *Erwinus Erdmann*, Consul *Osnaburgensis*, qui suum Chronicon ante annos centum & quadraginta scripsit de *Osnaburgensibus* Episcopis. Inquam, multa in eo de Comitibus *Aldenburghicis* refert. Quid dicam de *Alberti Crantzii* historiis, quæ in omnium manibus sunt? Deus bone! quam sæpe hic, quam inquam honorifice, quam copiose præ aliis Comitibus, horum illustrium nostrorum Comitum præ-

claram mentionem facit. *Cranzius* multis in locis inclutorum *Aldenburghensium* Comitum res præclare gestas eleganter describit, idque factum est ante annos centum, & certe ex historicis, qui patrum nostrorum seculo vixerunt, nemo de his *Cranzio* scripsit prolixius.

Quando ante annos centum hic [*Aldenburghi*] ageret terminarium Ecclesiasticum [ita tunc temporis appellabantur] *Joannes Schiphoverus*, Monachus Augustinianus, conscripsit quoque Chronicon *Aldenburghicum* sub patrocinio illustris & generosissimi Comitis, D. *Joannis*, qui fuit avus horum inclutorum Comitum, ut Domini *Joannis*, qui avi nomen refert, & Domini *Antonii*, cui patris nomen inditum est.

Nonne Genealogias illustrium nostrorum Comitum nostro recentent tempore in publicis ordine scriptis *Wolfgangus Lazius*, *Sebastianus Munsterus*, *Joannes Funcius*, *Caspar Pencerus*, *Andreas Hoppenradus*, *David Chytrus*, *Reinerus Reineccius*, *Hieronymus Henninges*, *Michael Beuterus*, *Joannes Petersen*, *Abraham Surius*, *Cyriacus Spangenbergius*, *Michael Eifinger*, & multi alii. Quid dicam prolixius de nostris Comitibus, antiquissimi & Nobilissimi stemmatis Herouibus?

An non ex præcipuorum Principum & Herouum veterum familiis amplissimis sibi semper elegerunt conjuges? Nostri Heroës propter varias virtutes apud primarios Germaniæ Principes, atque etiam apud exteros Reges in magna fuerunt autoritate, & quidem adhuc sunt. Multa nostri Comites bella quovis seculo contra suos hostes satis feliciter gesserunt: In certaminibus, in pugnis, in aciebus speiemen suæ sæpe dexteritatis & fortitudinis ediderunt, ideo etiam multoties præclaram de hostibus, imo etiam de leonibus victoriam reportarunt.

Letissimam militum aciem struxit *Christianus*, Comes *Aldenburghicus* contra potentissimum Ducem & amplissimum Saxonie Electorem [quo nunquam ab eo tempore in Germania potentior Princeps exstitit] *Henricum Leonem*, qui Comiti tunc cedere cogebatur. Ter bellico Marte urbem *Bremensem* invaserunt Comites *Aldenburghici*, imo ipsos sæpe *Bremenses* in acie vicerunt & in fugam aliquoties conjeecerunt, taceo, quod multi ex *Bremensibus* devictis sint vinculis & custodia traditi, sicut plurimos alios suos hostes feliciter

Nann nnnn 3

&

& multis modis profligarunt: contra *Frisios* non solum strenue pugnauerunt quam sapissime, sed etiam eos & vicerunt, & in fugam ipsos præcipites dederunt; Sed de his nostrorum illustrium Comitum bellis & rebus præclare gestis alio in loco dicendum erit. Quid vero deinceps referam de illustribus nostris Comitibus? Illi multa præclara facta magna quidem dexteritate ad optatum finem sapissime perduxerunt, gravia aliquoties negotia executi sunt, ab aliis magna Principibus arduis consiliis sunt adhibiti.

Aldenburgici Comites, ut fuerunt ante annos sexcentos dignitate & regionibus per *Frisiam* longe lateque extensis, amplissimi Heroës, & quidem, ut nova utar voce, Archicomites, & licet postea iniquitate maris ipsorum potentia multum decesserit, tamen inde ab annis ducentis mirifice suas rursus ditiones sagacitate & industria amplificaverunt. Benedictus sit Pater Domini nostri *Iesu Christi*, quia eo benedicente in regionibus & in rebus suis admodum prosperaverunt & progressum ac successum satis fortunatum habuerunt. Multa jugera, multos agros, multa pascua & prata magna magna virtute & Herculeo labore per Dei benedictionem ex mediis maris vasis, & fluminum *Visurgis* & *Jadæ* fluctibus suæ ditioni acquisiverunt, atque cursum fluctuum vehementem positæ arte quadam hinc inde aggeribus validissimis compescuerunt: imo integras regiones inde ab annis ducentis alius post alium ex Comitibus, sibi ordine succedentibus, legitimis mediis consecuti sunt.

Nihil modo dicam de illustri nostro Comite, Domino *Juano*, quantum benedictionis in adaugendis suis ditionibus per hujusmodi media, à *Christo*, *Emanuele*, habuerit & obtinuerit, & adhuc quotidie, dum magnam terræ partem vastissimis undis adimit & operosum aggerem per profundissimas aquas deducit, consequatur, quantum etiam ditionem hanc variis jugeribus, pascuis multis, & agris plurimis simili ratione per maximos labores non sine gravi sæpe periculo, interim arte quadam, tam in his locis, quam in *Sheverens* ditione, quæ ei quoque divinitus contigit, auxerit & ornaverit, & sic aliquot mille agrorum jugera utrique ditioni adjecerit, non est opus, ut prolixius referatur.

Interim nec hoc tacendum erit, quod injuria & inclementia maris multoties ab una parte harum regionum multa jugera vi & violentia fluctuum abripiantur, adeo, ut pascua imminuantur & de-

erescant per crebras maris & fluminum eluviones, ita, ut si ab una parte aliquid per magnum laborem accedat, ab altera etiam multum decedat.

Pergo autem de nostris *Aldenburgicis* Principibus commemorare prolixius: Nostri gloriosi & victoriosi Comites inde à trecentis annis non solum cum aliis Germaniæ Comitibus, iisque celebribus, sed etiam cum exteris Regibus potentissimis, cum clarissimis Germaniæ Principibus, cum Ducibus illustrissimis amicitiam longe latèque coluerunt & sane adhuc colunt, apud eosdem nostri inclyti Heroës in magna semper autoritate exstiterunt: Si debeamus personas Comitum *Aldenburgicorum*, qui sub annis ducentis vixerunt, describere, fuerunt & adhuc sunt nostri illustres Comites, heroicæ personæ, proceri & eximii heroës, *Ansehnliche tapffere Grafen / herrliche Personen und seine Herren.*

Cum venisset Romam *Christianus, Rex Dania, Suecia & Norvegia, Gothorum Vandalarumq;*, &c. natus Comes *Aldenburgicus*, & *Sixtus IV. P. P.* & omnes Cardinales ac Episcopi civesque mirati & venerati sunt heroicam corporis personam & majestatem in tali Rege. Cum horum illustrium Comitum pater felicitis recordationis, Comes inclytus, Dominus *Antonius*, se reciperet ad comitia, quæ anno D. 1566. *Augusta* celebrabantur, & se quoque ad comitia, quæ *Spira* anno D. 1571. agebantur, magno Nobilium & ministrorum numero stipatus, conferret, Heros ille propter egregiam personam & venerandam canitiem, tum apud Cæsarem *Maximilianum II.* tum apud omnes alios Principes in magna autoritate fuerat, & reliquorum Comitum ac Dynastarum ibidem præsentium oculi in hunc Comitem *Aldenburgicum* conjecti erant.

Pervenimus jam ad Comitum *Aldenburgensium* castra & arces. Quid dicam de illorum munitionibus? Nemo ex Germaniæ Comitibus plures habet munitiones, forsàn pauci etiam ex Principibus Germaniæ majora habere possunt propugnacula. Habent nostri generosissimi Comites ad hujusmodi munitiones conservandas omnia quidem necessaria, quæ ad hujusmodi propugnacula defendenda requiruntur. Habent arces instructas, ornatas, politas, & ita ædificatas, ut eis nihil possit deesse, in his videbis elegantia palatia, hypocausta lauta, cubicula commoda, gynecæa exquisita, dormitoria exulta, ædificia exornata, imo turres hinc inde eminentes & longe late-

teque conspicuas, adeo, ut quod ad splendorem, ad pompam & ornatum spectat, nihil desit.

Quod ad sustentationem amplissimarummunitionum in his ditionibus sufficientem, quod ad sumtus, qui in hujusmodi propugnaculis tuto & quiete contra hostes possidendis & non amittendis attinet, certe in propugnaculis illustrium *Aldenburghensium* Comitum nihil desiderari potest.

Consideremus quoque in his arcibus *Aldenburghensium* munitis machinas bellicas, bombardas, tormenta bellica, arma, praefectas aggeres & fossas. Considerentur milites praefidarii, considerentur vicini loci, cognoscantur paludes, quibus cinctae sunt.

Dicat ergo *Lipsius*, si unquam istorum quicquam consideravit, dicat, inquam, an censeat, aliquem in Germania Comitem aut multos etiam Principes in eadem existere putet, quorum quilibet in sua regione plura propugnacula eaque fortiora habeat, quam nostri *Aldenburghenses* Heroës. Si hoc, inquam, cognovit, cur igitur tantos Heroës tam inique, tam acerbè deformavit publicis scriptis?

Quid dicam de gloria inclytorum nostrorum Comitum? An non ex familia *Aldenburghensium* Comitum prodierunt Reges Daniae, qui illud regnum florentissimum ad annos centum & quinquaginta & tenuerunt & feliciter administrarunt? Et illi potentes Monarchae, ordine omnes sibi succedentes, in hodiernum usque diem Comitum *Aldenburghensium* & *Delmenhorstianorum* titulum usurpant, sibi que tribuunt, cujus certe tituli eos non pudet.

A primo illo *Christiano*, *Theodori*, Comitis *Aldenburghensis* filii *Gerhardi*, Comitis fratre, nato inquam Comite *Aldenburghensi* & in Regem *Daniae* electo, descendunt ordine hi subsequentes Reges: *Joannes*, istius *Christiani*, nati Comitis *Aldenburghensis* filius primogenitus, Rex *Daniae*, cujus filius, *Christianus II.* Nepos prioris *Christiani*, succedit patri in regno, ei, cum ex regno ejiceretur & tandem captus carceri adjudicaretur perpetuo, succedit patruus istius *Fridericus I.* *Christiani I.* Regis & nati Comitis *Aldenburghensis* filius secundus, & *Joannis* Regis frater, estque Rex promulgatus cui demortuo substituitur filius ejus primogenitus, *Christianus III.* *Christiani*, Regis primi, nati Comitis *Aldenburghensis* nepos ex filio: Huic *Christiano III.* succedit filius ejus quoque primogenitus, *Fridericus II.* pronepos *Christiani*, Regis primi, nati Comitis *Aldenburghensis*.

gens, qui sibi habet successorem in regno filium primogenitum Christianum Fridericum, abnepotem Christiani, Regis primi, nati Comitis Aldenburgici: cui modo ad gubernacula tantorum regnorum sedenti det filius Dei in regno & gubernatione incrementum, successum & progressum.

An non Illustrissimi Duces Schlesvici, Holsatie, Stormaria & Dithmarsia, quotquot eorum fuerunt, qui ab annis 150. eas ditiones amplissimas gubernarunt & adhuc gubernant, ex Inclytorum Comitum Aldenburgensium stemmate antiquo & vere Nobili originem trahunt? Nonne illi omnes sibi titulum Comitum Aldenburgensium & Delmenhorstianorum semper usurparunt? Censent Historici, hunc Comitatum Aldenburgicum esse antiquissimum, & Theodori Aldenburgici filiam fuisse conjugem Cæsaris, Henrici Primi, dicti Aucupis, matrem Ottonis Magni, Cæsaris ejus nominis primi.

Cranzius de hoc Comitatu sic scribit: Certum est, Comitatum Aldenburgensem ex omnibus esse vetustissimum.

David Chytraus vocat Comitum Aldenburgensium familiam antiquissimam. Ita ex antiqua & celebri familia & ex eo quod tot Reges & Principes ex hac originem trahant, non parva accedit Comitibus nostris gloria. Multi Reges scribunt & agnoscunt nostros Comites pro suis cognatis.

Hactenus de Comitibus ipsis scripsimus, nunc etiam de aula Aldenburgica dicendum erit. In aula soventur viri clari & docti, Consilarii consultissimi, præest ibi consiliis J. U. Doctor, qui Cancellarii dignitatem obtinet, intersunt deliberationibus & nobiles viri, & Licentiati promoti, agunt in ea Magistri, sunt in aula industrii & docti Secretarii, quorum aliqui in varia linguarum cognitione etiam Lipsio non cederent; sunt ibi Scribæ sagaces & periti. Concionantur in aula quatuor ordine pastores, viri pii & eruditi; habent etiam Illustres nostri Comites ex Nobilibus hinc inde Satrapas præfecturis ac castris præpositos, habent Capitaneos & Centuriones. Habent ex Nobilibus equites cum Dominis Generosissimis equitantes, quosdam etiam ex iis cubicularios, aulae magistros, dapiferos, & ad mensam ministrantes, inter quos etiam & docti & linguarum periti reperiuntur: Habent nostri Heroës varios varii generis artifices, ministros diversa officia exercentes, milites, cursores, famulos, aurigas & multos alios hoc & illud facientes.

Oooo oooo

Est

Est in aula *Aldenburgica* Gynecæum pudicum Nobilibus & pudicis virginibus, modestis puellis & famulabus honestis ornatum, & quidem nihil, quod ad honestatem & decorum pertinet, hic desiderari poterit: Omnia hinc modesta, omnia pudica, omnia honesta, omnia integra, salva & sana. In mensa Principum aulica audiuntur non lasciva, non turpia sed pia, jucunda, historica, sacra & suavia colloquia: Mensæ quidem pro heroica dignitate apparatus admodum splendide in aula nostra, interim sobrie castè & pudicè hic vivitur: nullus hic immodicus apparatus, nulla superflua abundantia: Nihil in nostra aula, quod ad pietatem, ad gravitatem, ad honestatem spectare potest, desideratur: Non in aulicis personis quod vel in minimo potest inhonestum vel turpe esse, reperitur: Omnia lascivia, omnia scurrilia, omnia absurda procul ab aula *Aldenburgica*.

Pervenimus jam nominatim ad *Aldenburgensem* civitatem sic sitis amplam, sic satis celebrem: Hæc in se complectitur antiquam & tempore potentissimi Principis *Henrici Leonis* Electoris *Saxonie*, Ducis inferioris *Saxonie*, *Angrivaria*, *Westfalia* & utriusque *Bavariae* longe amplissimi, munitam & splendidam arcem & castrum *Aldenburgicum*.

Quando itaque consideramus urbem & arcem simul, videmus utramque ab antiquis & Nobilissimis Comitibus *Aldenburgicis* nomen habere, ideo non potest urbs ab arce, neque arx ab urbe divelli vel separari, quia una etiam munitione cinguntur. Itaque ab *Aldenburgicis* Principibus est nomen huic urbi inditum: sic *Aldenburgica* civitati privilegia omnium primò ante annos trecentos contulit *Comitatus*, ejus nominis primus Comes *Aldenburgicus* & ejus privilegia urbi & Senatui clementer data omnes ordine Comites, qui didicimus totius gubernationem sustinuerunt, confirmârunt: Ab eo autem tempore, cum urbs *Aldenburgica* esset privilegiata & immunitatibus donata, crevit quotidie mirum in modum, estque ita aucta, ut in justam civitatem sit extensa & meritò non pro oppidulo (multo minus pro nidulo) sed pro justa civitate, quæ magna libertate est donata, haberi debeat, licet intempestivis verbis sic satis falsè & fallè traducant eam turgidus *Lipsius*.

Consideremus etiam hujus urbis celebris statum & conditionem, & primò, si munitionem spectemus hujus egregiæ civitatis ca-

est, sicut & arx ipsa *Aldenburgica*, ita quidem, vallis, aggeribus, fossis & præfidiariis militibus munita, ut hac in parte multæ claræ & amplæ in *Germania* civitates cum ea conferri nequeant: imo ne quidem in tota nostra *Westfalia* vel magis munita civitas vel arx existit quam hæc urbs & arx *Aldenburgica*: Sunt per *Germaniam* aliquot urbes Imperiales, quarum amplitudo & longitudo non superat civitatem *Aldenburgicam*, sed ei etiam cedere multæ civitates *Germania* & etiam *Batavia* multis coguntur modis.

Tanta quoque amœnitas est in vicinia hujus urbis, quando considerantur pulcherrimi horti, qui circa hanc urbem numerum millenarium excedunt, jucundissimæ sylvæ, virentia prata, viridantia pascua, arbores varii generis frugiferæ, florentes fruges, agri cultissimi, jugera fertilissima, ut censeam plane in ipsa adeo *Batavia* ne quidem decem urbes (simul omnes inter se collatæ) eam & tam magnam habere commoditatem, tantamve amœnitatem aut tam eximiam suavitatem in sua vicinia, atque hæc una civitas habet, quam tamen sine ratione, sine mente contemnit & vituperat injuriosus *Lipsius*.

Omnia hæc (*Aldenburgi*) exiguo admodum pretio venduntur & emuntur. Memini, viatorem inopem uno grosso (quod est numisma *Bremenſe*) sibi potuisse hic cibum & potum comparare ad mediocritatem & sustentationem corporis, licet hic sit populosa civitas. Interim tam est libera civitas *Aldenburgica*, (utpote quæ nullis oneribus premitur, nullis gravaminibus oneratur) ut vix decem *Batavia* urbes (absit invidia dicto) tantum immunitatis habeant, quam hæc una: si inquam decem *Batavia* urbes cum nostra civitate conferamus, hæc plus libertatis, plus commoditatis & minus oneris, quam istæ decem, habet.

Interim *Lipsius* hanc tam splendidam urbem audet vocare nidulum, oppidulum, sed videatur illi nidulus, habeatur ab illo, ut temerario & non satis prudenti phantasta, oppidulum, verum nobis *Aldenburga* non oppidulum, sed civitas populosa est.

Quanta verò sint mala, & quam omnia sint in *Lipsii Brabantia* cara, ut nihil fere ibi sit, quod non magno pretio æstimetur & ematur, multi noverunt, nec etiam hoc ipsum *Lipsium* præterit: utinam multi in *Brabantia* ex popularibus *Lipsii* haberent modo patinam plenam brassicæ confectæ, cui paululum adipis porcini esset immixtum, Deus

bone ! quomodo pro eo cibo Deo gratias agerent , & illi quidem , qui ante multos annos ad delicatos etiam cibos nauseabundi fuissent . Sic fortuna rotæ instar volvitur ; interim Deo sit gratia , quod etiam confessione *Lipsii* , adeo cibo pingui abundare *Aldenburgicos* & *Westfalos* constet , dum interim miseri *Brabantii* fameant & egeant [de quibusdam dico] & tam largiter cœnent & prandeant nostri , quando ipsis apponitur patina grandis brassicæ confectæ , quæ dicitur jurulenta [*Lipsius* illam vocat digicum emimente & superstante . Adeo redundat civitas & ditio *Aldenburgica* & ipsa etiam *Westfalia* ciborum copia . Verum ipse gloriatur de delitiis *Bataviciis* & forte *Brabantinis* : attamen miles *Hispanicus* popularibus *Lipsii* jam dudum , istis inquam Belgis , præscripsit leges sumptuarias .

Quando dicit de pane *Westfalico* , addit quam primum , *Plinius* mihi in mentem venit , qui de hac & finitima gente scribit . Miseram illam , quæ terram suam ureret ; ego verius , miseram illam quæ terram suam ederet : Hæc ille . Sed si est misera illa gens , quæ terram suam urat ; ergo *Batavia* , quam usque adeo prædicat *Lipsius* , est admodum misera . Interim hoc verè horrendum & detestandum , imo blasphemum occurrit , quod dicat : Panem illum atrum , qui in *Westfalia* & in his locis ex siligine , in paucis vero ex hordeo & avena conficitur , & plurimum confortat laborantes , esse terram ipsam . O mendacium impudens ! O mendacem crassum ! interim nescit forsitan suos *Brabantinos* uti pane nigro . Crassius adhuc *Lipsii* mendacium est quod scribat , in *Westfalia* panes esse formatos in massam quaternos aut quinos pedes longam , quos tu non elevasses ; nisi forte infans pedes intelligat . Certe ego *Westfalus* , qui totam *Westfaliam* cernensum , tamen nullibi nec unquam panes ejus inquam longitudinis reperiri . Vocet ille terram , nos panem , tanquam cibum Dei , sumimus cum gratiarum actione .

Redimus ad *Aldenburgicam* civitatem : *Oldenburgi* ut sunt cuncta bona , integra & sana , ita hæc civitas & tota ditio *Aldenburgica* producit viros fortes & animosos , qui tempore belli se contra hostes præbent infirmidabiles , sicut etiam tempore pacis domi se quietos & pacatos continent .

Ante annos propediem trecentos , quando adhuc *Aldenburgi* esset admodum angusta civitas , cum publici *Aldenburgensium* hostes hanc

hanc urbem per insidias noctu cepissent, invasissent, & inde spolia ampla auferre cogitarent, ecce, cives, in tam exiguo tunc temporis oppido, tegulis hostes ex urbe expellunt, in fugam conjiciunt, atque cum fugientibus hostibus non procul ab urbe *Aldenburgica* in aperto postea campo dimicant atque ab iis victoriam reportant. Tanta animositate sunt cives *Aldenburgici* præditi, & in *Aldenburgicis* Chronicis celebratur una ex nostratibus scœmina, quæ aliquot *Bremenses* cives in acie trucidavit. Adeo pro patria pugnant nostri.

In *Aldenburgica* civitate nascuntur homines ingeniosi & acuti, quorum ingenium ad quamlibet artem descendam capax, & ad omnem disciplinam percipiendam idoneum.

In hac etiam urbe sunt annui mercatus & nundinæ certis temporibus ordinatæ in singulos annos, ad quas ex variis regionibus multi mercatores confluunt, ut emant equos elegantes & gregarios aut curribus trahendis aptos. Emuntur hic boves bonis pascuis saginati, qui huc ex quadruplici *Phrisia*, nostris Comitibus inclytis subdita, aguntur.

Cives *Aldenburgici* mercaturam foris per mare & per varios eosque diversos locos exercent prudenter & alibi negotiantur pro sua industria apud exteros, tantum abest, ut sint fatui & non satis sani aut semihomines: cives inquam, sunt hic ingeniosi, callidi, astuti, circumspæcti, sapientes & cordati, quod certe de porcis, de scrofis & Suillis non potest dici: quanquam Romani etiam, tum alii populi, suos Suillos aut Suillos, porcios Asinios, & Ursinos habeant. Cum vero nos porcis, scrofis & suillis conferat *Lipsius*, addit etiam, & uno verbo, tui *Hermanni*, quæ verba non satis intelligo; Interim dum mihi in baptismo nomen *Hermanni* sit inditum, ideo tribus verbis respondeo. Credo interim, hunc sarcasum ex instinctu adversariorum nostrorum, qui vel *Brema* vel *Emda* degunt, profectum esse. Verum bellicosissimus Princeps *Harminius* [sicut etiam *Nicodemus Erischlinus* putat] qui olim in *Westfalia* amplas regiones & etiam sedes habuit, atque in quodam *Westfalia* loco, qui est in Comitatu *Lippiensi*, felicissimè contra *Varum* & *Romanum* exercitum pugnavit, hoc nobis nomen reliquit, sicut etiam patrum & nostro seculo multi inter Principes & Comites exstiterunt Heroës celebres, qui illud nomen, ipsis in baptismo inditum sibi usurparunt. Alii nomen *Hermanni* à Germanica voce deducunt *Ein Herr Mann*. Sed

contemnamus asperos *Lipsii* jocos & redeamus ad arcem & urbem *Aldenburgicam*.

Quid dicam de arce *Aldenburgica*? Illa, sicut dictum est, commode exstructa, splendida habet palatia, pulchra cubicula, & omnia illa complectitur, quæ ad splendidam arcem & amplam aulam requiruntur. Civitas *Aldenburgica* est loci natura non minus, quam arx ipsa munita, interim munitio quoque non exigua illam cingit. Sunt in urbe *Aldenburgica* multæ splendide & exornatæ ædes, sunt domus hic amplæ, sunt inquam hic ædificia exulta & exquisita.

Sunt hic in urbe cives, ut honesti & humani, ita usu & experientia rerum varia præstantes, quorum aliqui apud externos populos versati sunt & eorum linguas callent: *Habitat in hac civitate* plebs laboriosa & humilis. Oppidani sunt circumspecti. Sunt etiam inter cives, qui linguam latinam didicerunt.

In Ecclesia Christi, quæ *Aldenburgi* est, docent Evangelium de Christo Jesu, filio Dei, admodum diligenter quinque Ecclesie ministri: populus in magna frequentia conciones devote audit atque Sacramentis religiose utitur. In ludo literario satis frequenti quatuor ludimagistri instituunt pueros. Divites sunt erga pauperes liberales, pauperes rursus devoti & officiosi.

Aldenburga habet foeminas liberales, quæ sunt in vestitu modestæ, facie pulchræ, incessu & ornatu pudicæ. Idem dicendum erit de virginibus & puellis, quarum simplicem vestitum, ornatum modestum & pudicum habitum etiam exteri mirantur.

Multi peregrini, tam ex remotis, quam vicinis locis, huc turmatim magno numero confluunt, ut emant merces varii generis & frumenta diversa, quæ sibi comparant *Aldenburgi* certo pretio & ad suos vehiculis vel navigio transferunt.

Navigio enim huc asportantur frumenta cujuscunque generis, vasa multa sale repleta, casei plurimi, vasa butyri plena, vina, cerevisiæ, pisces ad solem indurati, pelles varii generis & coloris, ut & panni varii coloris: Naves namque onerariæ ex remotissimis gentibus ad hanc urbem appellere possunt: Habet etiam *Aldenburga* ut mercatores industrios, ita nautas pericillosos, quorum naves exonerantur per *Hontam* & *Visurgim* flumina in apertum mare, ut in remotissimas regiones se conferant, & ibi negotientur.

Conspurcavit *Lipsius* mirum in modum diversoria, quæ sunt *Aldenburgi*. Interim certum est, in hac urbe esse hospitia multa, eaque munda, sic satis pulchra, polita, exquisita, nitida & elegantia, in quibus peregrini excipiuntur splendide & humaniter, ubi ferula & cibi delicatissimi viatoribus apponuntur, ubi cerevisiæ peregrinæ & vinum hospitibus id petentibus porriguntur, & quicquid volunt, tam præsentes quam cœnantes, id eis apponitur, vel ad mensam producitur, imo quilibet pro delectu vel palato, quod expetit, habere poterit. Reperies hic in hospitibus lectos lectissimos, & pulcherrimo ornatu stratos, linteis mundissimis & nitentibus instructos, in quibus mollia pulvinaria dormientibus supponuntur.

Quod vero *Lipsius* addit, juxta lecticas adstare vaccas, equos, vitulos, & supra pullôs & gallinas, subter porcos, &c. id quidem in hac urbe nec vidit nec expertus est. Potest hoc fieri in pauperum tuguriis apud rusticos in pagis, quod concedimus, quia ibi [apud tenuiores rusticos] plerumque talis reperitur fordities. Potest etiam fieri, ut & hic, sicut & alibi, tenuia & vilia inveniantur diversoria: sicut in singulis quoque urbibus existunt hospites, qui plebejos excipiunt & pro sua quemlibet conditione tractant. Ita semper est delectus hospitum, & delectus diversoriorum.

Nostro quidem tempore, cum jam ad annos propediem novendecim *Aldenburgi* versatus sim, multi illustrissimi Principes, multi generosissimi Comites, multi Dynastæ sic satis illustres huc venerunt magno numero, deinde plurimi Nobiles viri, equites animosi, milites fortes, Capitanei, Centuriones & bellatores strenui sæpe admodum ex diversis Germaniæ finibus aut ex mediis Germaniæ regionibus huc se contulerunt & quotidie se adhuc conferunt, & ab illustri Comite nostro, Domino *Johanne*, in hac arce *Aldenburgica* excipiuntur, & splendide pro sua quilibet persona & dignitate tractantur, plurimosque dies cum inclyto nostro Domino in lætitia transigunt. Idem etiam fit *Delmenhorsti*, [in munitissimo præsidio & arce splendida] ab ejus Celsi fratre, Domino *Antonio*, æque illustri & inclyto Domino [qui eo in loco suam fovet aulam] Comite benignissimo.

Quotidie per hanc urbem mercatores iter faciunt, sapissime vel Principes, vel Comites, vel Heroës, plurimi etiam Nobiles, plurimi viatores. Multi divites negotiatores sibi in hac urbe deligunt

commoda profecto hospitia, quibus pro sua non tantum necessitate, sed etiam pro commoditate sua, fruuntur. Multi homines peregrini sibi quietam hic, in quibus placide pernoctent, conducunt diversoria: & nemo unquam ex istis, qui quotidie magna copia per hanc urbem proficiscuntur, alibi vel negotiari vel res suas curaturi. Dixit aut scripsit, arcem vel civitatem *Aldenburgicam* esse nidulum, haram, eremiam, Scythicam barbariem, aut hic esse barbaram gentem, uno tantum *Lipso* excepto.

Fuerunt eo ipso anno, quando *Lipsum Aldenburgi* ageret, videbatur anno à nato Christo 1568. in Octobri] quatuor Evangelici concionatores non indocti, ex quibus unus fuit *Lipso* popularis, qui pure in templo verbum Dei docent; Fuerunt tres Iudimagistri, scholasticos fideliter in artibus instituentes; Fuerunt tunc temporis in aula & urbe *Aldenburgica* duo J. U. Doctores, duo Licentiatii, duo artium Magistri, præcipue in aula aliquot docti Secretarii, deinde tam in urbe, quam in aula, industrii erant & adhuc sunt Notarii. Agebant eodem anno, sicut adhuc hodierno die hic agunt aliquot cives, latinæ linguæ non ignari: imo erant tunc inter Nobiles aulicos docti, sicut adhuc sunt. Et quidem illi omnes erant in urbe presentes, quando *Lipsum* hic delitesceret: Cur non unum vel alterum ex istis tam multis interpellavit? Cur neminem ex ipsis salutavit? Cur nullum ex istis Studiosis convenit? Cur nulli locutus est? Si uni aut alteri locutus fuisset, certe eam ipsi humanitatem exhibuissent, ut, si non *Lipsum* propriis ædibus excepissent, saltem ad commodum hospitium deduxissent.

Dicat ergo *Lipsum*. Cur se vili hospicio commisit? Cur sibi in tempestivum delegit hospitem. Potuisset vel apud ipsum carnibem quærere divertendi locum, aut ibidem hospitium procurare, apud eundem hospitari, cum illo aliquot dies transigere, ejus dapies gustare, aut etiam morsus sustinere; Quid illud ad omnes *Aldenburgicos*? Quid hoc ad Comites ipsos? Quid ad cives *Aldenburgicos*? Quid istud ad totam gentem, aut ditionem? Num propterea universam gentem, civitatem & regionem *Aldenburgicam*, & utriusque incolas decidendos propinare per publica scripta exteris hominibus debuisset? Num propterea hominem ullius pietatis amatorem decuisset, nostros apud peregrinos & coram mundo, ludibrio exponere? Num hac solum de causa omnes *Aldenburgicos*, tam Principes

pes, quam subditos, debuisset tanta injuria excipere, quasi per famosum libellum?

Sane, ex multis circumstantiis apparet, ipsum *Lipsium* non hominem sed semihominem, cum hæc scriberet & aliquoties in lucem protruderet, plane fuisse, & quidem adhuc esse, quia ne mica quidem humanitatis in ipso conspicitur. Quod si ab uno & altero non commodo, non festivo hospite male exceptus esset, quid hoc ad Principes ipsos, ad eorum ditionem & urbem?

Etenim ille male feriat *Criticus*, qui politica scribit, minime se in hac re Politicum præbuit, dum in alios, præter eorum meritum, tam intempestive sæviat, & sit in bonos viros petulcus, injuriosus & petulans.

Hocne decet politicum virum? Hæcne civilitas & urbanitas est, tam inciviler immeritos atrocissimis verbis, dictis & scriptis excipere, extremis injuriis afficere?

Miratus sum, *Lipsium* tam diligenter, tam accurate de constantia scripsisse, interim magis miror, ipsum singularia quædam de constantia proferre & aliquid solidi scribere, dum ipse admodum inconstanter, muliebriter & impatienter quædam hospitii unius vel alterius incommoda tulerit. Certe, magis mirandum hoc occurrit, quod *Lipsius* aliis politica præcepta eaque polita præscribat & interim ad unius vel alterius malam exceptionem & iniquam tractationem [sed quis novit, an verum?] usque adeo insaniat & stomachetur, hac ratione ostendens, quam minime sit ex illorum Politicorum numero, qui in profectionibus multas sæpe molestias devorare coguntur, atque patienter & modeste difficultates itinerum & molestias hospitiorum sustinent: Interim nec isti viatores in vicinos mali hospitii, aut in totam gentem, sub qua hospites mali, socordes & negligentes degunt vel comprehenduntur, statim propterea debacchantur, multo minus publicis eam scriptis proscindunt. Quis enim, in quo aliquid modo humanitatis esset, aut toti regioni & ejus Principi hoc adscriberet, quod ab uno vel altero homine negligentius commissum esset?

Potissimum vero est illud in urbe & ditione *Aldenburghensi* laudandum: Pium habemus Magistratum. Amplissimi nostri Comites & religionem veram amant & defendunt, eamque propagare non cessant, in quem finem etiam illustris & sinceræ doctrinæ addictis-

Pppp pppp

si-

simus Heros, Dominus *Johannes*, Comes, Bibliothecam [cujus initium fecit ejus patruus, bellicosus & industrius Comes, *D. Christophorus*] splendidam adornavit, & quotidie novis libris auget. Nostri inquam Comites Generosissimi veram pietatem excoluntur, integritatem sequuntur, justitiam colunt, clementiam, judicium & aequitatem exercent. Etsi illi sint magni Heroës, in præcipua dignitate positi, tamen nostri Comites se erga quoslibet præbent modestos, humanos, benevolos & clementes.

Quid dicendum de Consulibus & Senatoribus hujus urbis? Hi certè sunt viri boni, prudentes, honesti, integritatis & pacis amantes. Si spectemus subditos, hi se Magistratui humiliter submitunt: cives sunt inter se concordēs & honestatis pacisque amantes, id quod [ut fuit hoc olim antiquis Germanis confirmandæ fidei Symbolum] porrectione manus dextræ ad singulos potus consignat, licet *Lipsius* hoc nostris probro vertat.

Ideo de hac urbe, de hac nostra Republica, in qua florent virtutes eximie, in qua conspicitur concordia, in qua vera fides, sincera religio, una fidei doctrina ab omnibus colitur & observatur, in qua nullæ sunt Sectæ, ubi nulla reperies Schismata, merito hoc dicendum erit, quod sit respublica & Politia hæc culta, bona, splendida & bene constituta, ut præ multis aliis Rebus publicis in Politicis merito huic aliquis locus tribuendus esset.

Hoc cum ita sit, ut nemo cordatorum de ea re dubitet, quis dæque non videt, quanta nos injuria, quanta nos ignominia afficiat impie & injuste ille *Injustus Lipsius*, quando omnes *Aldenburghicos* absque ulla exceptione & sine discrimine tam fœdis, tam sordidis nominibus, idque in publicis scriptis, aliquoties per novas ediciones reiteratis, conspurcet?

Nonne hac ratione & Illustres nostri Comites atque illi etiam Reges & Principes, quotquot eorum sunt, qui ex *Aldenburghicis* Comitibus suam trahunt originem & sibi adhuc *Aldenburghicum* & *Dolmenhorstanorum* Heroëm titulum ac nomen publicè usurpant, crassissimis moribus lacerantur? Nonne extremis calumniis *Lipsius* urbem *Aldenburghicam*, imo totam ditionem, & urbis cives optimos atque ditionis incolas afficit?

Lipsius Aldenburghicam arcem & urbem, nidulum, Scytharum Eremiam, haras, oppidulum, &c. ex contemptu vocat palam, &c.

libus sarcasmis pro sua obstinata protervia sic satis scabiose, falsè in publicis scriptis, per orbem terrarum multoties evulgatis, arcem vetustam & urbem *Aldenburgicam* commaculare extremis convitiis, aliisque deridendam exponere studuit homo furiosus & protervus, *Lipsius*. Quid studuit? imo jam nos commaculavit, conspurcavit & omnibus per Europam deridendos exposuit.

Nonne ille, qui se Doctorem & Reformatorem politionum literarum orbi terrarum obtrudit, aliter de viris bonis judicare debuisset? Nonne melius de viris honestis, qui in vera bonæ famæ possessione & sunt & fuerunt hæcenus, scripsisset? Verum remota tunc omni sapientia, remota omni modestia, remota omni doctrina, insipienter, stultè, & stolidè ex impetu impatienti & iracundo animo, cum semel atque iterum malè tractaretur à quodam hospite, in nos exardescens furorem suum evomuit, dum omnes *Aldenburgicos* sine differentia Suillos, Scrophas, porcos exclamet, & quidem ipsos non homines, sed semihomines reputet & palam proclamet, quasi sint bruta animalia, quasi nihil sensus, nihil rationis haberent *Aldenburgici*, tam illustres Principes, quam subditi eorum.

Si autem, quando in hac urbe ageret *Lipsius* ita ira commotus efferbisset in subitum furorem, ut, scribens ad amicos, tam inconsiderate *Aldenburgicos* deformasset, tamen, cum proximo anno ad prælium suas adornaret epistolas, & sequenti post anno, aut etiam tertio, quando eas recudi curaret, si quæ considerata prudentia & prudens humanitas ac circumspecta modestia unquam in *Lipso* fuisset, ut nunquam est, sicut ex obstinato suo & malevolo proposito consideramus, jam reversus ad se, potuisset pleraque istorum vel mitigare vel mutare, sed cum hoc factum non sit, hoc inquam cum faciat, quid aliud inde colligi potest, videlicet, ut censeat nos barbaros, mente carentes & omni humanitate exutos.

Hæcne est petulantia præfracta? Hæcne impudentia pervicacissima? cum tamen nulla hæc sit barbaries, nec etiam populus barbarus. Hæc sunt politica, festiva, decora & pulchra, scilicet *Lipsii*, facta & acta, sic tractare illustres personas, sic bonos in bona Republica cives excipere, & injuriosè totius ditionis incolas proscindere. Hoc stultus & extremè fatuus, ad iram concitatus, simili ratione potuisset. Et sanè in hac re nihil à stulto differt *Lipsius*, alioqui, quæ scripserat iracundus, tandem post biennium, aut saltem post trienni-

um, imo demum post quadriennium aut quinquennium, quando ferventem iram remisisset, facile correxisset, aut quæ iratus scripserat, pacatus retraxisset. Hoc cum non fecerit, stulto potius, quam sapienti, assimulandus erit: ideo multo rectius in *Lipsum* hoc quadrat, quod de Paulo dixit Festus [Act. Cap. 26.] insanis Paule, multe te literæ ad insaniam convertunt. Ita nova illa dictio & nova latine loquendi forma, quam ille modo in scholas introducit, explosis doctissimorum virorum libris, ex quibus adolescentes exceperunt pharases elegantissimas, *Lipsum* forsitan ad aliquam insaniam redegerunt, ut ita in innocentes sæviat & insaniat.

Habemus jam humanitatem & modestiam *Justi Lipsii*. Dum puer essem, didici ante plures quam quinquaginta annos in scholis:

Didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Sed artes & novum illud dicendi & scribendi genus *Lipsii* reddidit ipse ipsum ferocem & audacem, adeo, ut non parcat illustribus Heroibus, ut pergat honestos viros suis perturbare calumniis, & totam *Aldenburghicam* ditionem ac urbem ex destinata malicia, ex petulantia & malo proposito proscindere suis maximis injuriis & convitiis.

Ter maximus Apostolus Paulus ex Spiritu S. afflatu nobis tradit, iis honorem esse tribuendum, quibus honor deberetur, sed *Lipsum* censet, eos ipsos, quos in summa autoritate & præcipua potestate posuit Deus, esse ignominia afficiendos, non aliter, quam novus *Rei filiorum Ammon*, dictus *Hanon*, legatos Regis *Davidis* ignominia extrema tractabat, 2 Samuelis 10. Censet etiam Apostolus, non tam æquales quam superiores, calumniis palam traducendos. Non modicum arroganter contra doctrinam Pauli de se sentit *Lipsum*, dum distinctu Spiritu S. docet, alium quisque se præstantiorem existimet, sed *Lipsum*, qui se omnium censet doctissimum, & novum se linguæ latinæ reformatorem reputat, cum multos præclarissimos viros hæctenus de lingua latina optimè meritos, ipsum adeo *Ciceronem*, *Lucretianum*, *Petrum Bembum*, *Erasmum Roterodamum*, *Philippum Melancthonem*, *Petrum Ramum*, & multos alios, qui in hunc usque diem in lingua latina vel excelluerunt vel palmam potius obtinuerunt apud alios doctos, præ se contemnat, his omnibus censet se præstantiorem.

esse, imo adeo nos *Aldenburgicos* dejicit, dum nos *Suillios*, *Scrofas*, *Porcos* & *Porcios*, & semihomines appellet, ut nunquam ille purpuratus dives pauperem *Lazarum* vel uno ex talibus convitiis exceperit, adeo nos deformavit, ut nullo ex istis nomine deformi dives *Lazarum* vituperaverit, sed tamen, cum ejus curam non haberet, in infernum detrusus sit. Quid futurum sit *Lipso*, ipse viderit.

Constans *Lipsius* prudenter & graviter de constantia scripsit, [quod scriptum omnibus doctis probatur] sed adeo fuit timidus, adeo animo perculsus, omnique constantia plane exutus, ut, dum adhuc ad quatuor integra milliaria ab hac urbe abessent isti equites, de quibus *Lipsius* conqueritur, & cuilibet tutissimum esset, ex hac civitate quovis locorum absque ullo periculo abire, constans *Lipsius* ex suo illo nidulo [sic enim ornat hanc urbem] non egressus sit & se aliò contulerit, sed hinc hærendo tremens, trepidus, tremulus & animo inconstanti anxius potius scriberet, quam abiret; Illic me tenent equites nostri, qui loca hæc omnia persultant. Mentiris *Lipsi*, mentiris, inquam. Nullum adhuc in his Comitibus pedem fixerant isti equites, nec ad hos unquam appulerunt, sed procul ab hac nostra regione & urbe remoti exstiterunt, adeo, ut quovis locorum proficisci, vel te recipere potuisses *Lipsi*, si tamen quid constantiæ & animositatis fuisset inte. Sunt interim constantis *Lipsii* verba: Certè animi pendeo, properem, cum periculo est, nec audeo id quisquam mercatorum. Heream? tempus mihi labitur itineri opportunum: Et rursus: Undique nos cingunt equites peditesque, qui in *Belgium* parantur. Manendum in illo nidulo fuit, aut incidendum in harpates illos, &c. Nullas fere ex istis equitibus, nullus etiam ex pedibus tunc temporis vel terminos & fines harum regionum attingere audebat. Tantum abest, ut isti cingerent hac urbem, à qua procul remoti aberant, ita quidem, ut *Lipsius* potuisset vehiculo vel navigio absque ulla rei suæ aut etiam corporis sui jactura *Bremam* tutissimè ire & se recipere, si quid constantiæ, & si aliqua bona in ipso conscientia fuisset. Sed delectatur mendaciis, & mendacia libenter scribit. Sic quoque confidenter scribit: *Bremam* ad tria distare milliaria ab *Aldenburga*, cum gregarii nuncii longè aliter de eo itinere sentiant & judicent, imo hic *Lipsium* mendacii arguere non vereantur.

Dicit: *Westfalos* esse barbaros & nihil ibi nisi meram existere barbariam, sed *Johannes Marmelius*, veniens ex *Westfalia*, instructus

PPPP PPPP 3. per

per *Rodolphum Langium*, venit in *Hollandiam* & inde scopario quodam extirpavit barbariem. Verum, cum hæc scriberem, incidi in excusam intimationem, quam Vice-Rector in Academia *Rostochiensis*, *D. David Chytraus*, ante anni quadrantem edidit sub Illustrissimi Principis *Wilhelmi*, Ducis *Curlandia & Semigallia* in *Livonia* [cujus patruus, *Wilhelmus Keilerus*, ut doctissimus & piissimus inter Nobiles *Westfalia* fuit, ita *Monasteriensem* Principatum ipse Princeps ad aliquot annos prudenter administravit] ut Rectoris Academiae nomine, qua Professores & Studiosi tunc simul convocabantur ad deducendum suus Nobilis *Westfali*, *Henrici à Dorgelo*, in ea sic scribit:

Primus in *Germania* poematis elegantibus editis diu ante *Cæsar* clarus Nobilis *Monasteriensis*, *Rodolphus Langius* fuit, qui in *Italia*, ubi tunc latinæ & Græcæ linguæ studia reflorescere cœperant, cum *Mauritio*, Comite *Spegelbergio* & *Rodolpho Agricola*, *Frisio* [*Groningensi*] circa annum 1460. *Laurentium Valerium*, *Franciscum Philadelphum*, *Theodorum Gazam* studiosè audivit: unde reversus in patriam ipse & *Rodolphus Agricola* cum *Alexandro Hegio*, *Monasteriensi*, *Daventrivensi* schola studiorum Rectore, omnium primi in *Germania*, puriorem latini sermonis formam usurpare & meliorem discendi & latine scribendi rationem ostendere & cohortationibus jace exemplo suo excitare elegantiora studia cœperunt.

Cognatum etiam suum, *Hermannum Buschium*, adolescentem, suo sumptu excoli politionibus in *Italia* literis curavit: Qui adultus *Erasmii Roterodami* amicus & in profliganda superioris ætatis barbarie & optimarum literarum propagatione socius plerisque *Germania* Academiis, & huic etiam nostræ *Rostochiensis*, virtutis & doctrinæ studia impressit.

Eo autem diligentius Nobilitas in *Westfalia* præ cæteris *Germania* provinciis colit doctrinarum studia, quod gravi & sapienti *Caroli Magni* consilio, maxima pars *Westfalia* in diceceses Episcoporum distributa est, ubi auditus ad dignitates, & beneficia in collegiis amplissima nulli, aliquot annos in Academiis, studiorum causa verlato, aperitur.

Magnum autem decus est reipublicæ nobilitas literata, in gubernatione, veram religionem, justitiam & mores patriæ honestos intelligens & amans, & tueri studens, ac, ut poma aurea, in lance argentea sunt conspectiora. Sic doctrina & literis excolta nobilitas, in reliqua hominum multitudine illustrius enitet ac elucet.

Quo insigni ornamento cum *Westfalia* hoc tempore floreat, in vestigia Seniorum illorum, popularium suorum, *Langii & Buschii*, nobilitatis *Westfalica* luminum, fideliter ingredi cœperat Juvenis nobilissimus *Henricus à Dorgelo*, in diœcesis *Monasteriensis* Comitatu *Vechtenfi*, *Bresberga*, patre *Ottone*, rebus bello gestis & studio vere religionis claro, matre *Elizabetha*, ex nobilissimæ *Smisrigiorum* familia generis ducente, natus, quem ingenio doctrinarum capace & avido divinitus ornatum, parentes in honestissimæ urbis *Osnaburgensis* schola, quinquennium; primas artes, quibus ad humanitatem informari tenera ætas solet, solide discere & fundamenta doctrinæ firma ponere voluerunt; Inde *Paderbornam* profectus, ante quadriennium in hanc Academiam venit, in qua morum integritatem ac modestiam & diligentiam in studiis ac omni officio suam, præceptori & hospiti suo & aliis, cum quibus vixit, eximie probavit, et in Juris civilis studio eos progressus fecit, ut aliquoties in disputationibus specimen ingenii & doctrinæ præclarum, respondens de tutelis, de rerum divisione, de usufructibus, &c. toti collegio præbuerit, &c. Hactenus *Chytraus*. Tantum abest, ut sint *Westfali* barbari, & sit in *Westfalia* nihil fere aliud quam mera barbaries. Interim sicut ibi prædicat *D. D. Chytraus* nobilem *Westfalum*, *Henricum à Dorgelo*, ita sentiat *Lipsius*, multos, imo infinitos in *Westfalia* Nobiles, qui eruditione, linguarum & artium, historiarum & Jurisprudentiæ cognitione excellunt, etiamnum existere. Ejus generis Nobiles multos in *Westfalia* novi, qui jam in Domino quiescunt, ut merito pudeat tantum virum [*Lipsium*] tanti mendacii; sed hanc maculam, & Nobilibus *Westfalibus* & aliis in *Westfalia* viris doctis aspersam, aliquando ipsi vindice oculo, dextra, ore & quibus poterunt modis, abstergent. Hoc sciat *Lipsius*.

Ut autem homo impius, *Lipsius*, nihil contra *Westfalos* & *Aldenburgicos* intentatum relinquat, sed ut extrema quæque eis objiciat tandem dicit nos piscibus ex *Norvegia* allatis, qui sole indurati & ventis, vesci atque pultiphagos esse: Interim utrumque genus cibi etiam magnis Principibus & amplis Heroibus in plurimis aulis appositum vidi, & his oculis conspeximus, in media *Hollandia Batavos* non edere utrumque ferculum, sed avide vorare; ideo non sit mirum, quod *Westfali* & *Aldenburgici* hujusmodi ferculis delectentur. Sit igitur unus *Lipsius* delicatus, ad hos cibos nauseabundus, quid tum?

Sit interea *Lipsius* ille magnus, sed maneat Scrofa, Porcus, Sullius, bardus & barbarus, maneat semihomo, imo mendax semper, donec nos *Aldenburgicos* & etiam *Westfalos*, harum calumniarum & horrendorum convitiolorum, quæ tam sæpe per publica scripta in nos torsit, & ita nos innocentes diffamavit, convincat ille Sycophanta, nos interea veri Christiani sumus & manebimus, integritatis & veræ pietatis amantes.

Re vera est & manebit *Lipsius Scyta*, Porcus, Scrofa & barbarus, qui contra Christi, Salvatoris nostri, apertam sententiam Scythicè, barbarè in publicis scriptis traducit innocuos & immeritos.

Quisquis [ait Christus] dixerit ad proximum: fatuus, obnoxius erit gehennæ incendio, &c. At arrogans *Lipsius* non solum *Aldenburgicos*, tam Dominos quam subditos verbis simpliciter fatuos appellat vel calumniose traducit, sed publicis etiam scriptis per multa milia exemplarium apud exteros ita eos traducit, ita omnium hominum ludibrio exponit, ut nullus unquam fatuus miserius & calamitosus sit tractatus, tam scoptice, tam obscène, tam inhumaniter in nos *Aldenburgicos*, tam Dominos quam subditos, non provocatus debacchatur. Nos quidem non censet homines, sed planè brutis animantibus confert, quasi nos cum Rege *Nebucadnezar* irrationabilibus animantibus assignati essemus & in eorum ordinem à Deo redacti. Adeo nos *Lipsius* dejicit, adeo nos suppressit, ut hoc nomine, nisi culpam palam deprecetur, & publice suum immensum & grande scelus, quod & in nos *Aldenburgicos* & omnes *Westfalos* commisit, supplex revocet, certissime horribilis & formidabilis gehennæ incendio sit & fiat obnoxius.

Oro filium Dei, Dominum nostrum, Jesum Christum, sedentem ad dexteram Dei, & interpellantem pro nobis, ut *Lipso* det meliorem mentem, eum convertat & cor contritum largiatur, ut sit & maneat vas misericordiæ & non iræ, Amen, Amen.

APOLOGIA ALTERA HERMANNI
HAMELMANNI,Pro
WESTFALIS,
Contra JUSTI LIPSII calumnias.

Illustri & inclyto Domino,

DOMINO SIMONI,Comiti ac Nobili Domino in Lippia, &c. Suo Domino
Clementissimo.

Illustris & Inclyte D. Comes, Heros clementissime! ego, homo Westfalus, in media Westfalia natus, qui etiam majorem aetatis partem in Westfalia transegi, ad te, Principem Westfaliae, qui inter eos Heroës, qui in Westfalia vivunt & hereditarias sedes habent, praecipuum tenes locum, mitto, quicquid pro communi patria nostra Westfalia, & pro popularibus nostris, Westfalibus defendendis collegi & scripsi. Ut autem V. Cels. habet suam sic satis amplam regionem in ipsa Westfalia sitam, ita ego in vestra ditionis praecipua urbe Lemgovia, ad integros annos quatuordecim fidelem, ut mihi persuadeo, pastorem egi, & praeterierunt jam anni 37. quando sub gubernatione vestri optimi parentis, Comitis generosissimi D. Bernhardi, Herois pia memoria, cum quibusdam aliis pastoribus piis & doctis, qui jam omnes in Domino quiescunt, ad visitationem Ecclesiarum, qua V. Cels. ditionibus subsunt, vocarer: in qua etiam functione, quam diu in illa agerem, vestris Ecclesiis bonam operam locavi, cujus rei propriam habeo conscientiam mihi testem.

Ex his & plurimis causis, [inter quas hac una & praecipua est, quod me senem ab ineunte aetate semper clementer susceperis] hanc modestam Apologiam devotè & humiliter V. Cels. inscribo, & supplex oro, ut à me Westfalo Princeps Westfalus clementer eam suscipiat, & patrocinium communis patriae nostrae Westfaliae & Westfalorum in se transferri, imò sibi obtundi patiatur & clementer permittat.

Vestrum sane paternum, avitum & illustre Stemma Comitum de Lippia, deinde & Astra materna familia, qua est Generosissimorum Comitum de Waldeche stirps nobilissima, perstitit, & adhuc per annos Dei beneficio

Q999 9999

quin-

quingentos in Genealogia mascula in ipsa advo Westfalia perstat. Quibus addo Inclytorum & Illustrum meorum Principum & Dominorum D. Joannis & Domini Antonii, fratrum prosapiam antiquissimam, atque similiter Comitum Schouvenburgensium [qui V. Cels. arctissima affinitate juncti sunt] Genealogiam nobilissimam: nam in his illustribus & ceteris Comitum familiis solummodo inde à quingentis annis Herus masculi in mascula semper linea in Westfalia supersunt.

Accedit etiam alia dedicationis causa, quod sciam, Illustrum V. Cels. eruditione, pietate, judicio, humanitate, clementia, justitia & multis aliis virtutibus excultam esse, ideo pro vestra innata benignitate & benevolentia V. Cels. hanc qualemcumque operam patria nostra & popularibus nostris impensam, suscipiet.

Sciat autem Lipsius, qui & regionem Westfalicam & ipsos Westfalos atrocissime deformavit per publica scripta aliquoties prelo expressit Westfaliam, ut patriam nostram, innumerabiles produxisse viros, qui scientia, doctrina (loquor de vivis) artibus & eloquentia instructissimi sunt: Produxisse etiam maximos Principes & lectissimos Herus doctrina & virtute instructos, produxisse quoque infinitos Nobiles, innumerabiles equites, alios viros tam prudentia, eruditione & autoritate quam genere prestantes, tales & tam prestantes proferre quotidie, qui in aliis locis & in multis civitatibus Rei publicae bene praesunt, aut ordinem patricium aut Senatoriam dignitatem consequantur. Non est Princeps, non est Comes in Westfalia, qui ex ipsis Westfalis non habeat consultissimos & doctos Inconsultos, qui etiam non habeat inter Nobiles aulicos quosdam eruditos, & in multis aliis Heroës praeferam, in V. Cels. aula habetis Nobiles viros, Christophorum à Donop & Fridericum Warpuph, sicut in hac nostra parte agunt Bernhardus à Kitzleben, & Henricus Drostenus, qui omnes sunt & genere & doctrina virtuteque Nobiles.

Nec hoc praeterire possum, novi quatuor in Westfalia Nobiles viros pietate & doctrina instructos, qui Wittenbergæ, viri Reverendi Martini Lutheri convictores fuerant, ut, Casparum Schelen, Didericum ab Aldenbochum, Georgium à Siborg, & Georgium Scellium, viros inter Westfalos Nobiles incomparabiles, qui jam in Domino quiescunt: Praeterea in vobis abiles Nobiles juniores literis & scientia linguarum ornatos, ex quibus mihi jam senis pauci noti sunt. Hi verò omnes non levi ignominia à Lipsio afficiuntur.

Habet sane nostra Westfalia etiamnum multos celebra

multos eruditos Licentiatos & infinitos artium Magistros: quid dicam, Inclyte Comes, de vestra ampla ditione, qua multos viros eruditione claros produxit? Imo quid dicam de urbe V. Cels. Lemgovia? Deus bone! quam multos Doctores, quam multos Licentiatos, quam multos Magistros illa una & sola civitas nobis dedit?

Si aspero animo Apologiam nostram pro Westfalibus scriptam susceperit, & me senem male tractaverit Lipsius, a quo animo ferendum esse censeo, cum alios me longe præstantiores viros, reprehenderit, nec Illustribus ac Inclytis quibusdam Heroibus pepercerit.

Scripti equidem hanc Apologiam, ut & alteram, rudi stylo & hanc meam ruditatem agnosco. Respondit quidem Lipsio satis eruditè D. Johannes Domannus, Juriconsultus, popularis meus, sed ego certis de causis etiam hanc Apologiam meam pro Westfalibus contra calumnias & convitia Lipsii edere volui.

Bene valeat V. Cels. in Christo Jesu illustris Comes cum Generosissimis & maxima spei Nobilissimis & V. Cels. filiis & heredibus, D. Bernhardo, D. Simone, D. Ottone & D. Hermanno, Comitibus & Dynastis de Lippia, &c. quibus Christus largiatur suam benedictionem, Amen, Amen, & suum clientem Hamelmannum clementer cum suis amplectatur, qui hac dedicatione V. Cels. pro multis vestris beneficiis in ipsum collatis, publice gratias agit, Aldenburgi, in exitu anni D. clc. lxx. xcl.

Vestrae Celsitudinis

semper observans

Hermannus Hamelmannus, L. Th.

APOLOGIA.

Quamvis Justus Lipsius de re literaria optimè mereatur, & ipsius erudita de gravibus studiorum negotiis scripta existant, & multa in profectum politioris literaturæ ediderit, tamen in eo, homo alioquin clarus & admodum doctus turpiter se dedit, & enormiter peccavit, quod non solum in genere Westfalos nostros, sed etiam nominatim Aldenburgenses ad extremum publicis suis scriptis, per orbem terrarum, traduxerit, & dente Theonino roserit, atque satis acerbè ipsos calamo mordaci atque acuto perstrinxerit.

Huic ut responderem senex, jam dudum ingressus annum ætatis sexagesimum sextum, & inclytus Magistratus jussit & oppidani

Q999 9999 2

no-

nostri postulant, meque conscientia mea ad hoc cogit. Debuissim meritò manum de tabula retrahere, tanquam emeritus miles, sed *Westfalorum* nostrorum habenda fuit ratio, nam

*Nescio, qui natale solum dulcedine canit
Ducit, & immemores non sinit esse sui.*

Debui quoque curare ejus urbis existimationem & famam, in qua jam serè annum decimum nonum vixi consenui, in qua etiam, si Domino placeat, vitam placide in Christo Jesu cum morte commutare statui.

Quod ad *Westfalos* attinet, sic scribit in epistola 14. ad *Jacuum Hauvenum* de *Westfalia* *Justus Lipsius*: Crede mihi amico, Barbaria nulla Barbaria est præ hac *Westfalia*. Cætera *Germania* fere vidi, quid dicam? Deliciæ illic locorum & hominum sunt, si cum istis comparentur. Item in epistola 15. ad *Joannem Heurnium*. Passus enim in hoc *Westfalo* itinere sum, quæ nemo Cynicus. Item: Diu expectato, ecce tibi caput cœnæ, patina grandis plena brassicæ confectæ. Ea jurulenta est (virulenta mihi calamus scribebat) adipe porcino ad digitum eminente ac superstante. Hanc ambrosiam non comedunt mei *Westfali*, sed vorant, &c.

Has sane calumnias quomodo æquo animo ferent viri in *Westfalia* cordati & docti?

Scripsi ante plurimos annos orationem de nobili *Rodolpho Langio* Canonico *Monasteriensi* primo per *Germaniam* poeta, & instantore linguæ latinæ in *Westfalia*. Edidi etiam narrationem historicam de vita, studiis, itineribus, scriptis & laboribus *Hermani Deschii*, qua demonstravi, quomodo in præcipuis *Germania* Academiis nobilis *Westfalus* linguam latinam exclusis barbaris scriptoribus ad suam priorem dignitatem revocaverit. Evulgavi quoque ante annos 13. historicam Relationem, quomodo *Westfalicis* hominibus potissimum debeatur & adscribendum sit, quod lingua latina & politiores artes per *Germaniam* sint restitutæ priori nitiori & elegantiori formæ, &c. Unde multis bonis constare potuisset, quid nostri *Westfali* in restituenda lingua latina per universam *Germaniam* præstiterint, ut merito nunquam debuissent vel à quoquam [non dico *Justo Lipsio*] ita traduci, quasi Barbaria nulla esset Barbaria præ hac *Westfalia*. Ne igitur ego *Westfalos* justificare aut defendere videar, ipse *Westfalus* saltem doctorum aliorum virorum, quos putabo non omnino à *Lip*

rejiciendos, testimonia de illis subjiciam. Ideo primò, quid senserint de *Rodolpho Langio*, nobili *Westfalo* & Canonico Seniore in summo collegio *Monasteriensi Westfalorum*, viri isto seculo clari & eruditi, subjiciam.

Rodolphus Agricola, [cujus opera novit *Lipsius* in certos Tomos ab *Alardo Amstredamo* collecta & edita esse] in secundo Tomo in epistolis ad diversos, tandem scribit ad *Rodolphum Langium* hanc epistolam. Gaudeo, humanissimo *Rodolphe*, communiumque studiorum nomine plurimum lætor, tum verò gratulor tuæ gloriæ, eamque in primis admiror, ita consentiente & prope publica omnium voce tuæ ad me doctrinæ summæque eruditionis laudes perferuntur. Quocumque me verto, quemcumque doctum convenio, omnia tui plena sunt, omnia te narrant, neque ullus, qui de literatis est, te præterit sermo. Rem facis, me hercule, ut arduam, ita quoque pulcherimam, & hac claritate nominis tui dignissimam, qui veterem illam, & plane ingenuam eruditionem excitare in hac præsertim barbarie, afferereque audes. Equidem, ingenii tui vim, honestam animi institutionem, quibus digne persequar verbis, non invenio. Unum tibi hoc affirmo [neque velim id à me dici blandius, credas,] ingentem de te concipio fiduciam, summamque in spem adducor, fore aliquando, ut priscam insolenti *Italia* & propemodum occupatam bene dicendi laudem extorqueamus, vindicemusque nos ab ignominia, qua nos barbaros, indoctosque & elingues, & si quid est incultius, esse jactitant, & literatam *Germaniam* nostram, ut non latinus vel ipsum sit Latium.

Proinde quæso, adnitere, & cura omni, omnibusque, ut ajunt, nervis contendito, ut, quanto studio hanc tibi laudem comparasti, tanta etiam constantia eam tueare & confirmes. Aude sapere, ita ut facis, & quamvis magnam indoctorum manum aude contemneres. Nihil te multitudo moverit, ipsa plerumque sibi obstat turba, & rarum est, ut inter se consentiant, quibus non convenit cum veritate. Provocandi sunt hostes illi literarum, & in faciem coarguendi, ne sic quidem facile erit, ut in viam redeant & desipere desinant: Ego quidem, quanquam & molliore sum fronte, & propter conscientiam tenuioris ingenii minus audeam, inardesco tamen nonnunquam, & bilem ferventis stomachi quandoque acerbius effundo. Mallem hæc præsens tecum agere, & spero, si in patria per

hanc hyemem manebo, temporisque ratio patietur, fore, ut te conveniam. Est enim mihi, si quid aliud, certe hoc desideratissimum, ut te videam, aliquot dies tecum exigam, utinam totam ætatem liceret! &c. Hæc *Agricola*. Audiamus etiam, quid Abbas, *Johannes Tritthenemius*, in suo catalogo scribat de *Rodolpho Langio*, licet ille forte inter barbaros recenseatur à *Lipio*: *Rodolphus Langius*, [ait] *Monasteriensis* Ecclesiæ in *Westfalia* Canonicus, vir in divinis scripturis studiosus, & in secularibus literis eruditissimus, Philosophus, Orator, Poëta celeberrimus, ingenio subtilis, & disertus eloquio. Tandem ait: Vivit adhuc admodum senex in civitate *Monasteriensi* multa componens sub *Maximiliano*, Romanorum rege, anno, quo ista scripsimus, 1494.

Venimus ad *Alexandrum Hegium*, qui scribit in excuso Epigrammate de hoc *Langio*:

*Nil est quod fieri nequeat: Jam ferre potas
Barbaria in medio Westfalis ora potest:
Langius hanc decorat majorum sanguine clarus,
Monasteriaci lausque decusque soli,
Primus, Melpomenem qui jura in Westfala duxit
Cum caneret laudes maxime Paule tuas.*

Hermannus Buschius, anno D. 1494. edidit Eucharisticum carmen *Roma* ad nostrum hunc *Rodolphum Langium*, in cujus titulo vocat *Langium* Theologum, Philosophum, Oratorem, & Poëtam undique ornatissimum. Et mox in carmine sic pergit:

*Si cui nostra pias debet lyra carmine grates
Si teneor studiis cui dare dona meis
Tu facis ignavos abeat ne segnis in annos
Vita,*

Et mox:

*Te duce Musa favet, datur & mihi copia multa
Codicis &c.*

Idem scripsit libros Epigrammatum *Roma* anno D. 1498. quibus præmisit longam Elegiam in præconium [ut verba ejus sonant] *Rodolphi Langii*, Canonici *Monasteriensis* doctissimi, & deinde canit de *Langio*:

*Ingenio præstans degit cytharæque Rodolphus
Contiguas istis obtinent ille domos,*

Hic posset Lybicos cantu mollire leones
 Delphinesque sua detinuisse lyra.
 Et stare instabiles modulatu cogeret amnes,
 Et sylvas, mortes aëriosque sequi.

Quid idem *Hermannus Buschius* scribat ibidem in longa Elegia ad *Rodolphum Langium*, prolixius est, quam ut hinc omnes versus repetantur: Nos tamen pauca excerpemus.

Hic tua vena cito properet doctissime *Langi*,
 Cujus facundo stillat ab ore farus.
 Dum canis, è glauco se *Mincius* exerit amne,
 Ufus, & antiquum *Tiryron* esse putat;
Smyrna *Melesigenem* ruptis dulcedine vinclis
 Furat ab inferna sede tulisse pedem;
Orphea, saxa novum, nemora admirantur & unda
 Nec canibus metuit proximus esse lupus;
 Non timida fugiunt aquila veniente volucres;
 Nec lupus infirmam sauciat acer ovem.

Idem *Buschius*, scribens ad *Rodolphum Langium* de obitu *Johannis Murelii*, sic inter alia refert: Te tamen *Langi*, inprimis *Murelius*, velut oraculum quoddam *Delphicum*, observabat, te, quoties hæsitabat, consulere, te audire, tibi denique tantum tribuere animum induxerat, ut non alium eorum, quæ abs te accepisset reddendam causam, existimaret, quam *Pythagora* olim auditores reddere conuevissent.

Venio nunc ad *Murelii* iudicium de *Langio*. *Johannes Murelius*, *Ruremundensis*, in dedicatoria epistola librorum quatuor, quibus Elegias morales complectitur, anno 1507. sic alloquitur *Rodolphum Langium*: Non solum, doctissime vates, ea vel temeritate vel arrogancia ut *Langium* poeticae facultatis multarumque literarum facile Principem meis incultis versiculis oblectatum iri, unquam mihi persuaserim. Et in fine: Idcirco, ad te, piorum doctissime, & doctorum piissime mea hæc mitto elegidia, ut pro veteri illa tua in Studiosos omnes humanitate, quando vacaverit, ad limam, tanquam alter *Quintilianus*, acerrimo iudicio revoces. Idem Elegia prima Lib. I. ad *Langium* scribit:

Langi, Germana gloria terra.

Igitur Elegia prima Lib. 2.

*Nunc te queso, tua, vates clarissime, lime,
Corrige iudicio non satis apta tuo.*

Idem Elegia prima Lib. 3.

Equiparas doctum lyrici modulamino Flaccum.

Et Lib. 4. Elegia 1.

*Nostra nec odisti rivo de paupere fusa
Carmina, Pterii gloria summa chori,
Emeritus senio, summa cum laude, poëta,
Castalidum templo plectra lyramque refers.
Qua novus ingreditur, sed te duce semita constat,
Ad juga percelli fers Heliconis opem.*

Idem *Murmelinus* in Libro Epigrammatum inter alia scribit ad hunc nostrum *Langium*:

*Quod vero modos & sensa recondita vatium
Dissolvis, longe debeo plura tibi.*

Hæc scripsit *Monasterii* in *Westfalia*, verum quod in *Hollandia* scripserit de nostro *Rodolpho Langio*, *Alomaria* consideremus. Circa annum Domini 1514. dedicavit ipsi commentaria sua in *Boetii* scripta, & sic inter alia ait: Te omnium, quos novi, disertissimum agnosco. Tandem ibi Lib. 5. Elegiarum moralium scripsit & *Rodolpho Langio* dedicavit, hisque verbis inscripsit:

Ad Illustrem Virum,

Dominum RODOLPHUM LANGIUM,

Canonicum Monasteriensem, veteris Collegii Præpositum de liberalibus studiis Elegia

Johannis Murmelii, Ruremundensis.

Ingenuis Sophia studiis cultissime Langi,
Corporis & mentis sit tibi vera salus.
Cum te nobilitent præclara stemmata gentis,
Virtutum superas nobilitate genus.
Sive tibi pietas rerumve peritia major,
Judicio res est non dirimenda meo.
Primus ab Hesperia comitatus Apolline Musas
Duxisti, in patriam docte Poëta tuam.

Orator, quondam summi legatus in aula,
 Pontificis, magna non sine laude redis.
 Carmina componis musæo tincta lepore,
 Nemo tibi latius præstat in eloquio
 Symbola Pythagore, divi præcepta Platonis,
 Et Senecam dulci cum Cicrone tenes,
 Quæque pii vates, & Christo digna locuti,
 Conscripsere sacris, sunt tibi nota libris:
 Ambrosii calles, & quos Hieronymos acris
 Condidit eloquio, Gregoritiq; libros.
 Sunt Augustini tibi pulchre volumina lecta,
 Quæque dedit Thomas, qua Cyprianus habet,
 Argentum, gemmas, vulgus miratur & aurum
 Exornant populi vasa polite domus.
 Fluxa tibi sordent, & qua sectantur inertes,
 Adibus est decori bibliotheca tuis:
 Cum tibi sint amplius reditus, veniantque quotannis
 Plurima, in abstruso conditur inde nihil.
 Omnia qua redeunt, pulchrum depromis in usum,
 Pauperibusq; liberis fers pietatis opem;
 Diligis & doctos, cum sis doctissimus ipse,
 Artis idem studium jungit amore viros.
 Quod tibi sim notus, doleris quod plurima crebro
 Dona mihi, studiis debeo Pieriis.

Tandem in fine Elegiæ illius sic concludit:

Conscierer senio, Langi clarissime vaturn,
 Et coqueret pectus noxia cura meum.
 Ut tua discedens isthinc jucunda reliqui
 Colloquia, & frugis verba referta bonæ.

Pergimus jam ad Hermannum Buschium, Monasteriensem West-
 falum.

Rodolphus Langius anno D. 1496. in Epigrammata Buschii præ-
 fatus est his verbis: Rodolphus Langius in Hermanni Buschii, equestris
 ordinis doctissimique adolescentis, suavissimi conterranei sui carmi-
 na hoc dedit Epigramma. Inter alia sic scribit:

Hinc tua dulcissimo manans Elegia lepore,
 A Sulmonensi nec procul ipsa chely est.

Rrrr rrrr

Ma-

Macte vota juvenis vena senioque verendus,

Quanta canes Phœbi tangere doctus ebur.

Alexander Hegius scribit ante annos centum de *Buschio*:

Buschius hanc modulis & stemmate clarus honestat,

Cum te virgo parens numine fata canit.

Erasmus Roterodamus in *Ciceroniano*, de *Buschio* sic scribit: Dedit in *Westfalia* *Hermannum Buschium* in carmine pangendo felicem, cui in oratione soluta magna vis ingenii, lectio varia, iudicium acre, nervorum satis, sed compositio *Quintiliano* propior quam *Ciceroni*.

Johannes Murelius Lib. 3. *Elegiarum Moralium* Cap. vel *Elegia* I. sic canit de *Buschio* nostro:

Buschius Aonio satiatur pectore fonte,

Veribus est patria gloria magna sua.

Euritiu Cordus, *Med. Doctor*, Lib. 9. *suorum Epigrammatum*, sic scribit de *Buschio*:

Maximus es, certum est, quem fert Germania vates,

Quem colit Aonius concelebratque chorus.

Eobanus Hessus Anno D. 1506. ita prædicat suis verbis *Buschium*:

Gloria Germanos inter præclara poetas,

Et merito patria fama decusque tua.

Theodorus Ulsenius, *D. Med.* qui est à *Tritenhemio* & *Bartholomæo Colonienfi* summo opere commendatus, sic ante annos 89. de *Buschio* cecinit:

Buschius interpres vatam, vatesq; disertus,

Buschius est prisca nobilis ex avis.

Buschius antiquis non cedit jure poetis,

Buschius agnovit carminis omne genus.

Et post pauca.

Buschius est Phœnix unica Teuthonibus.

Johannes Æsticampanus, poeta celebris suo tempore, in suis carminibus Anno D. 1502. editis, de *Buschio* canit:

Inter Germanos felix Germane poetas,

Concinnas nitidis carmina culta modis.

Lipsia cum profiteretur *Buschius* bonas artes, de illo scribit *M. Christianus Bojovarius*, qui postea factus fuit *FridERICI*, *Saxoniae Electoris* & fundatoris *Academiae Wittebergensis* Cancellarius:

*Buschio inexhaustas juvenes jam pangite laudes,
Et viridi è lauro premia digna date.*

*Qui vos excoluit laeta græcæ, Minerva,
Vexit & huc Musas ex Helicone sacras:*

*Barbara qua fuerant, hæc fecit regna latina,
Castalidas Lipsi, hoc duce potat aquas.*

*Ergo canendus erit, meritoque colendus honore,
Quod duce barbaries, pestis acerba ruit.*

Et alius quidam, M. Johannes Sturmius, similiter scribit de *Buschio*:

*Barbara qua quondam fuerant Lipsensia Tempe,
Nec nisi barbaricam, docta, sonare chelyn.*

*Jam nunc Aoniis certant Hermanne Camænis,
Et redolent latiam de duce Calliopen.*

Philippus Melancthon in vita *Johannis Bugenhagii*, quam recitavit *Petrus Vincentius*, ita scribit: Erat natura [in *Bugenhagio*] non solum capax doctrinæ, sed etiam avida, & accendebant aviditatem tempora, quia *Daventrïensis* scholarchæ *Hegii*, & *Rodolphi Agricola*, & *Hermanni Buschii* scriptis taxata erant solæca priorum temporum, & revocabatur juvenus ad diligentiam rectius loquendi.

Extirpavit quoque *Buschius* ex schola *Rostochiensis* barbariem, dum *Oestrum* pœticum contra *Tilemannum Heverlingium* scriberet & ederet, sicut ejus versus indicant:

A multis nostras tunc incunctanter ad ades

Itur, & ad limen grex studiosus adest.

Quicquid Heverlingus legit auditoribus, illud

Vulgari lingua teutoniceque docet.

Ergo ad Heverlingum pergat, meliore relicto,

Discere, qui sordes barbariemque velit.

Alibi etiam *Joachimus Camerarius* commendat vehementer *Hermannum Buschium*.

Nunc tendimus ad *Alexandrum Hegium*, *Monasteriensem*, qui frequentissimam scholam *Daventrïensem* aperuit.

Ante annos fere 100. dedicavit libros *Epigrammatum Hermannus Buschius Alexandro Hegio*, suo præceptori, & inter alia sic scripsit: Tuo nomini dedicavi hanc editionem, arbitratus etiam si ea suavitate & ornatu, ea denique ubertate, ut pœmata debent, carmina nostra non fluerent; tu ea facillime pro tua in me benevolentia, quæ

mihî à teneris annis, cum ludum ingrederer, tuoque auspicio prima artis Grammaticæ rudimenta inbiberem, perspectissima fuit, ab omnî livoris morfu & invidia vindicares. Idem in quodam Epigrammate sic scribit:

*Si quis in Aonio posuit vestigia luco,
Scindit et̄ intonsam si quis ab arte lyram,
Si quis Grajorum didicit facunda virorum
Scripta, vel Ausonia flumina digna roga,
Si quis Romanas acies et̄ praelia novit,
Vel qua Cumæus Partheiusque docet:
Tū, qui clara tenes Pellai nomina Regis,
Dispercam, si non hic mihi solus eris.*

Erasmus Roterodamus in Chiliad. Centuria 4. in proverbio. Quid canis in balneo? sic loquitur de Hegio: His itaque tam plenis tamque absolutis laudibus viri [Rodolphi Agricola] equidem fateor, me peculiarius etiam atque impensius favere, quod mihi admodum adhuc puero contigit, uti præceptore hujus discipulo Alexandro Hegio, qui ludum aliquando celebrem oppidi Darentriensis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri utriusque linguæ prima didicimus elementa: vir, ut paucis dicam, præceptori suo simillimus, tam in utilitatē vitæ quam doctrinæ, non trivialis, in quo unum illud vel Mōmus ipse calumniari fortasse potuisset, quod famæ plus æquo negligens nullam posteritatis haberet rationem: Proinde si quid scripsit, ut rem ludicram haud seriam egisse videatur. Quanquam vel sic scripta sunt ejusmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promeriantur. Idem in Dialogo, qui Ciceronianus inscribitur, ita de Hegio pergit: Westfalia nobis dedit Alexandrum Hegium, virum eruditum, sanctum & facundum, sed qui gloriæ contemptu nihil magni est molitus.

Joannes Murmelius sic de hoc Hegio in quodam Epigrammate, quod operibus Hermanni Torrentini præfixit, cecinit:

*Dux etiam nobis doctissimus Hegius ille,
Præceptorque fuit.*

Idem lib. 2. didascaliorum cap. 9. Alexander Hegius, homo græcæ & latinæ linguæ cum primis eruditus, & præceptor meus. Et cap. 21. Alexander Hegius, vir non minus græcæ linguæ quam latinæ doctus.

Venio ad *Conradum Gocklenium, Paderbornensem*, de quo scribit *Erasmus Roterodamus* in proverbio, te ipsum laudas: *Conradus Gocklenius* latinæ linguæ publicus Professor in Academia *Lovaniensi*, juvenis utriusque linguæ ad unguem doctus, & in utroque scribendi genere mirificus artifex, sive prosam orationem malis, sive carmen, olim inter primos eruditionis proceres præcipuus habitus. Idem in Ciceroniano suo Dialogo: *Gocklenius* apud *Erabantos* jampridem ornat non modo collegium *Busleidanum*, quod quidem trilingue vocant; sed totam etiam Academiam, licet alioqui florentissimam. Opinor illud ingenium posse, quicquid serio voluerit, verum mavult, esse obesulus quam polygraphus.

Quid etiam scribat idem *Erasmus Roterodamus* de omnibus *Westfalibus* in genere, deinde in specie de hoc *Gocklenio*, subjiciam ex lib. epist. 17. In epistola, quæ exstat ad *Thomam Morum*: *Westfalus* populus, ut vulgo rudior habetur, ita multos nobis dedit summis ingeniis minimeque vulgari doctrina præditos. Non aliud genus mortalium patientius laborum est, fide, morumque sinceritate, simplici prudentia, & prudenti simplicitate potissimum commendatur.

Quid ad hæc verba respondebit *Iustus Lipsius*? Sed pergit *Erasmus Roterodamus*: Scis nuper *Lovani* trilingue collegium, in eo publice *Conradus Gocklenius*, gente *Westfalus*, latinæ literas maxima cum laude totius Academiae fructu proficitur, ea morum integritate, comitateque, ut literas, quas docet etiam apud illos, reddat gratiores, qui prius averfabantur. Ingenium argutum, quod feliciter sui specimen præbuit etiam in his disciplinis, quas solemniter tradunt in scholis publicis: Sales habet, sed prorsus Atticos, ac lepidis fabellis vel tecum certare queat. In carmine peculiarem quandam habet gratiam, nunquam non dulcius, nunquam non dulcis & amœnius. Nec est ullum unquam argumentum tam inamabile, quod illo tractante non mitescat. In prosa oratione sic est sui similis, imo sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putes prorsum alienum à carmine esse. Et post pauca: Quod si nostri Principes, prophani pariter & Ecclesiastici didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem, quemadmodum apud *Italos* habetur, *Gocklenius* noster totus esset aureus. *Alardus Amstelrodamus* in Epistola ad *Sibrandum Pompejum Occonem*, vocat hunc *Goklenium* utriusque linguæ facile Principem. *Erasmus Roterodamus* Lib. 23. Epistolarum, Epistola ad *Johannem Vlas-*

tenum, scribit de *Jacobo Wimphelingio*, quod à teneris annis educatus sit in honestissimis literis primum *Slestadii*, sub *Ludovico Driegenbergio*, *Westfalo*.

Præterimus jam *Hermannum Tulichium*, *Paderbornensem*, qui *Lipſiæ* Professore egit, deinde Rectorem scholæ in inclita *Eimburga*. In *Misnia* *Johannes Rivius*, *Attendoriensis Westfalus*, linguam latinam propagavit.

Antonius Liber, *Susatensis*, celebratus à *Rodolpho Agricola*, reparavit linguam latinam in *Hollandia* & vicinis locis.

Hermannus Bonnus, *Quakenburgensis*, literarum studia relictavit *Gripſwaldie*, in *Pomerania*, deinde *Lübeka*, sicut etiam fecit *Rostochii* *Arnoldus Burenus*, *Paderbornensis*.

Otoni Beckmanno, *Warburgensi*, primo *Witebergæ* Professore, oratoriæ facultatis, inscribit *Philippus Melancthon* anno D. 1518, orationem suam de corrigendis studiis, & appellat ipsum virum doctissimum, imo hæc verba subjungit: Debemus tibi, quicumque literas profitemur, atque adeo ego multis nominibus.

Hermannus Buschius cum suis, sub *Hegio* condiscipulis, *Johanne Casario*, *Johanne Fischemio*, *Arnoldo Wesaliensi*, *Colonia* barbariem ex scholis exclusit, & puritatem latinæ dictionis ibidem reparavit.

Ex schola, quam ante annos octoginta moderatus est *Monasterii Timannus Camenerus*, quando haberet Conrectorem, *Johannem Marmelium*, qui institutione *Rodolphi Langii* tantum profecit, ut inclarum virum evaderet, tanquam ex equo *Trojano* prodierunt innumerabiles viri quoque doctissimi, qui hinc inde per *Westfaliam*, *Saxoniæ* & per *inferiorem Germaniam* scholas aperirent & barbariem inde extirparent. Interim dicendum prius, quid viri docti de hoc *Timanno* scripserint. *Timannus Camenerus*, *Guerdenſis Westfalus*, *Alexandri Hegii* discipulus fuit, qui celebrem scholam in media *Westfalia* aperuit. De hoc scribit *Johannes Marmelius*, *Ruremundensis*, Lib. 2. Elegiarum moralium.

Qui claris animi possunt divina tueri
Luminibus, curant illa caduca nihil.
Quos miser merito numeret te *Musa Timanne*,
Gloria *Tentonici* docte *Timanne* soli,
Qui solida errantem moderaris lege juventam
Præcipiens rectum vivere, rite loqui.

Sedulus ingenios pueros hortaris ad artes,
 Et sapiam summo cogis amore sequi.
 Censetur late doctusq; Timannus habetur,
 In celebri celebrem, qui regit, urbe scholam.

Josephus Horlenius, Segensis, in lib. Epigrammatum inter alia canit de hoc Timanno:

Westfalia in latas tua primum Epirhedra finis,
 Vexerunt artes, doctle Timanne, bonas,
 Nullus enim Musis fuerat locus omine faustus,
 Per te presentes ast habuere manus.
 Barbarita Geniag, loqui farragine præter,
 Tyrenis aliud nil didicere prius.
 Sed tua dente minax pepulit bene fuscina retram,
 Barbariem, & Musas contulit ingenuas,
 Doctus es egregie nodosos solvere elenchos,
 Et quodcunque potes rite sophisma dari.
 Tu physicen calles, moralia tuq; docendo
 Nicomachi gnato non minor esse potes.
 Noctibus assiduis divina volumina lustras,
 Perlegis & quicquid lectio sacra tenet.

M. Petrus Gymnicus, Aquensis, in præfatione Dialectices hujus Timanni Cameneri, videmus, ait, te vel prope solum, vel primum ex omnibus, qui Gymnasia minora gubernant, quam palam & libere bonas literas in hac nostra inferiore Germania è tenebris revocas, in publicum & in lucem Gymnasii tui, & reducis ante oculos tuorum bonos auctores.

De Johanne Alexandro, Meppensi, Schvvolis gubernante studia literarum post demortuum Hermannum Torrentinum, scribit Johannes Marmelinus:

Te ductore schola pars isthic maxima floret.
 Doctrinam sequitur magna caterva tuam.
 Eloquii salve cultor facunde latini,
 Quo duce barbaries tollitur è medio,

Possent viros multos celebres, qui magna cum dexteritate rem literariam in inferiore Germania & Westfalia propagarunt, recitare, qui in schola Alexandri Hegii fuerunt instituti. Possent infinitos nominare, qui ex schola Hermannii Cameneri prodierunt, & per

totam *Westfaliam* artes humanitatis restituerunt: præterea multos fuerunt interim nostro tempore in *Westfalia* celebres viri, *Hermannus Struvius*, *Veclatensis*, *Homerus Buteranus*, *Johannes Ellius*, *Martinus Bredebachius*, *Joannes Monhemius*, *Henricus Veuchterus Olphenius*, *Henricus Sibaus Olphenius*, *Christianus Schleibingius*, *Johannus Glandorpianus*, *Georgius Tappius*, *Johannes Pollius*, *Rudolphus Mylius*, *Michael Volmerius*, *Johannes Batelius*, *Henricus Welpius*, *Bernhardus Lingius*, *Gerhardus Cotius*, *Bernhardus Copius*, *Fredericus Berhaufus*, *Franciscus Fabricius*, *Macroduranus*, & plures.

Sed de his hæcenus. Verum subjungam Apologiam pro *Westfalis* scriptam à *D. Davide Chytrao*, quam inseruit suæ primæ parti *Chronici Saxonia & vicinæ urbis Arctoi*, quæ facile contra calumnias *Johannis Lipsii* tuebitur, & ipsam *Westfaliam*, & *Westfalos* homines licet ejus aliquam partem recenseat *Domannus* contra *Lipsium*. *Lipsius* inter *Germania* primos reputat *Davidem Chytraum*, qui sic tamen scribit de *Westfalis*: Multos etiam virtute & doctrina excellentes *Ecclesie & Rerumpublicarum* peperit gubernatores natio *Westfalica*, qui demonstrant, ingenia *Westfalorum* ad literas, ad disciplinam, ad virtutem, ad doctrinas, ad alias honestas artes idoneas esse. Nota sunt nomina *Alexandri Hegii*, *Arnoldi de Westalia*, *Rodolphi Langii*, *Hermani Borschii*, *Gocklenii*, *Rivii*, *Glandorpii*, *Burenii* & *Hermani Bonni*, qui *Ecclesiam* inclytæ urbis *Libeca* magna cum laude pietatis, veræ doctrinæ, integritatis morum, sapientiæ & eloquentiæ multos annos rexit.

Præcipua vero *Westfalia* laus in elegantiarum literarum & linguarum studiis primum in *Germania* excitandis & propagandis, & latina oratione soluta & ligata, purius & nitidius elaboranda, merito à nobis tribuitur. Inter quos primi duces & antesignani fuerunt amici *Rodolphi Agricola*, *Rodolphus Langius*, nobili genere & ingenio Poëta, *Canonicus Monasteriensis*, & munificus literatorum *Mæcenas*, diu ante *Conradum Celsen* celebris, cui *Archiepiscopus Platonis* à se conversum *Rodolphus Agricola* dedicavit: Et *Alexander Hegius*, qui *Daventriensem* scholam, omnium ea ætate in his gentibus celeberrimam, per triginta annos magna cum laude rexit, & hujus discipuli, *Erasmus Roterodamus*, *Johannes Murnelius*, *Hermanus Borschius*, *Timannus Camenerus*, qui florentissimam illam *Monasteriensem* scholam, *Rodolphi Langii* consilio & auctoritate potissimum constitutam.

tam, usque ad Anabaptificos tumultus, felicissime gubernavit, & plurimi alii.

In superiore etiam Germania Ludovicus Dringeburgus, *Westfalus*, *Sletstadii* insignes virtute & doctrina viros formavit, *Jacobum Wimpelingium*, *Johannem Capnionem*, *Conradum Celten*, *Beatum Rhenum*, *Erasmii amicum*, *Poëtam Sapidum*, *Stabinum*, *Dalburgium* & alios, qui sua virtute & doctrina, de Ecclesia, scholis & communi hominum vita bene meriti sunt.

Estque hoc illustre ingenii, virtutis & industriæ argumentum, quod in vicinis urbibus & aliis locis, *Westfali*, etiam si peregrini sunt, tamen ad consilia & gubernationem Rerumpublicarum, Ecclesiæ & Scholarum, præ indigenis fere adhibentur.

Domi vero, & privata & publica disciplina ad pietatem, ad virtutem & omnia justitiæ officia, & præcipue ad laborem assuescunt. Ut autem homines nihil agendo male agere discunt: Ita rursus honestis laboribus multæ malæ cupiditates & vitia reprimuntur. Itaque, cum *Westfalia* sit patiens operum, parvoque afflueta juventus, & corpora laboribus durentur, luxum & voluptates aspernantur, & de plurimis bene mereri, & postea molestias ac onera gubernationis, ad quam etiam in his propinquis urbibus plurimi adhibentur, facilius perferre possunt, imo ad gubernationem eò studiosius provehuntur à prudentibus, quia bene parere honestis imperiis, officiosi ac diligentes & fidi in mandatis sibi functionibus esse à pueris assueverunt, *ὅτι γὰρ ἐστὶν ἐν ἀρχαῖς μὴ ἀπὸ δόξης.*

Soli etiam *Westfalici* ubertas & bonitas multis in locis eximia est. Etsi enim in eo tractu, quem mercatores sæpissime transeunt, regio vastior & incultior est, tamen ad *Visurgim*, & circa *Susatam*, *Hervordiam*, *Paderbornam*, *Warburgum*, *Huxariam* & passim alibi, fertilibus agris, ac ubique fere latissimis pascuis, glandiferis sylvis, iisque non incultis abundat. Versus *Rhenum* & montes *Hassia* etiam ferri, cupri, plumbi & aliorum metallorum, at *Corbachium* etiam auri venas non incelebres habet. Et terræ bonitatem, omniumque rerum advictum pertinentium copiam, frequentia hominum eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes amplæ & populosæ, *Monasterium*, *Osnaburga*, *Susatam*, *Minda*, *Tremonia*, *Hervordia*, *Paderborna*, *Lippia*, *Lemgovia*, *Wesalia*, & cæteræ, recta descriptione & splendore ædificiorum, & civium multitudine ac humanitate, paucis

in Germania cedentes, ostendunt. Ne Palaestina quidem, quam Deus terram melle & lacte fluentem nominat, omnibus in locis pari fertilitate fuit. Multo feracior vini, olei, balsami, frugum, & aliorum terra nascentium fuit Galilæa & Peræa, quam Judæa: præsertim ea parte, qua montes Arabicos spectat, in qua panibus hordeaceis velci vulgus & aquam bibere solebant. Quare nec Westfalia vitio verti potest, quod, cum regio amplissima sit & latissime pateat, alicubi amenior ac fecundior, alicubi incultior & horridior est: Et mox florebat, *Conradus*, Episcopi tempore, *Monasterii*, schola elegantioris doctrinæ & bonarum litterarum ac latinæ imprimis linguæ purius & nitidius, ad imitationem veterum, soluta & ligata orationis forma elaborandæ, *Rodolphi Langii* viri nobilis & doctissimi & in collegio Ecclesiæ senioris ac præpositi & Mæcenatis literarum munifici, consilio & auctoritate instituta. Cum enim *Rodolphus*, primis literis *Daventria* præclare excultus, a patruo *Hermanno*, Ecclesiæ Cathedralis Decano, in *Italiam*, ubi tunc Latinæ & Græcæ linguæ studia reflorescebant, missus esset: *Studiolo Laurentium Vallam*, cujus de elegantia sermonis latini commentarii exstant: *Mapheum Vegium*, qui *Aneida Vergilii* addito libro complevit, *Franciscum Philelphum*, & *Theodorum Gazam* audivit, & in soluta & ligata oratione eleganter formanda se exercuit, ac studiorum locios, *Mauritium* Comitum *Speigelbergicum*, *Philippi* filium & *Rodolphum Agricolum Frisium*, habuit. Qui in patriam reversi, omnium primi in Germania puriorem latini sermonis formam usurpare, & præsertim discendi & latine scribendi rationem ostendere, & cohortationibus ac exemplo suo excitare, cum *Alexandro Hegio*, *Daventriensi* scholæ studiorum Rectore fidelissimo & felicissimo, ceperunt.

Ac *Hegii* schola, ante *Monasteriensem*, velut seminarium politiorum literarum & linguarum, quas illius alumni, *Johannes Morelius*, *Erasmus Roterdamus*, *Hermannus Torrentinus*, *Boschius*, *Johannes Casarius*, *Juliacensis*, *Conradus Gocklenius*, *Paderbornensis*, *Jacobus Momannus*, *Spirensis*, *Johannes Peringius*, *Gerhardus Lijtrius*, *Martianus Frissemius* & alii longe lateque in tota Germania & Belgia propagaverunt. Primus autem Germania Poëta, ipsius *Rodolphi Agricola* juvenis, a vorum ætate, aliquot ante *Conradum Celsen* annis celebris, hic *Rodolphus Langius* fuit, editis, de excidio Hierosolymæ postremo, de obsidione Novessii, de Paulo Apostolo, de Maria virgine, poematis clarus: de quo condiscipulo & æquali suo *Hegius* cecinit:

Jam ferre poëtas

Barbarie in media Westfalis ora potest.

Langius hanc decorat majorum sanguine clarus,

Monasteriaci lausque decusq; soli.

Primus Melpomenen, qui rura in Westfala duxit,

Cum caneret laudes, maxime Paule, tuas

Buschius hanc modulis & stemmate clarus honestat,

Cum te virgo parens, numine facta canit.

Vatum terra alitrix tantorum Westfala gaudet,

Lumine te dextro, docta Thalia videt.

Duxerat secum in Italiam Langius adolescentem Hermannum Buschium, cognatum suum, cum ab Episcopo Henrico Schwartzburgensi & Collegio Monasteriensi ad P. P. Sixtum IV. legatus Romam, certi negotii causa mitteretur, ubi præcipuis viris in itinere Buschium commendavit, & sumtus studiorum in Italia commoranti liberaliter tribuit. Ipse etiam rebus omnibus ex Episcopi & collegii sui sententia apud P. P. confectis cum quidem honorificis Sixti P. P. & Laurentii Medicei, Episcopo & collegio commendaretur, majore in pretio & admiratione apud collegas fuit & causam bonarum literarum & emendationis studiorum doctrinæ barbaræ, passim in omnibus collegiis & scholis regnantium, majore cum fructu egit, tametsi aliquot adhuc annos reluctantibus veteris barbariei patronis, ac nominatim Academia Coloniensi, quo datis ad Conradum Ritbergensem, Episcopum, qui Henrico Schwartzburgensi successerat, & summum collegium, literis, usitatam tot seculis instituendæ adolescentiæ & docendi rationem & libellos, in scholis retineri, & mutationes novas, studiis & disciplinæ periculosas, caveri flagitabant. Et si autem erudite & graviter consilii sui causas Rodolphus explicabat: tamèn ad Italorum doctorum judicia ipsi provocare necesse fuit. Qui cum emendationem doctrinæ in scholis usitate necessariam esse, & Langium recte, Colonienses & Lovanienses perperam judicare, in responsis ad Episcopum suis, pronunciasent: Episcopus, qui Italorum, apud quos olim vixerat, censuram magnificabat, facultatem aperiendæ novæ bonarum literarum scholæ collegio dedit: ad cujus gubernationem cum Alexandrum Hegium, in diocæsi Monasteriensi natum, vocaret: ille ætatis excusatione usus alios idoneos scholæ suæ alumnos, & in his Johannem Casarium, Hermannum Torrentinum, Timannum Camene-

rum & aliquot præterea alios, indicabat; ex quibus *Timannum* ob personæ & morum gravitatem, cæteris prætulit, eique sex collegas, & in his *Johannem Murrmelium*, *Ruremondensem*, & *Johannem Hagenannum*, adjunxit. Quibus docendi ordinem & libros in schola interpretandos, & reliqua scholæ exercitia, ipse *Langius* præscribebat, & suam bibliothecam plurimis optimisque libris instructam, omnium in schola docentium usibus communem faciebat. Sic igitur paulo ante annum 1500, constituta *Monasterii* schola, usque ad Anabaptisticos furores, florens ac celebris mansit, & in totam reliquam *Westfaliam* & *Germaniam* optima studia propagavit. Hinc enim colonias elegantioris doctrinæ deduxerunt: *Petrus Nebemius*, *Tremonia*: *Josephus Hortenius*, *Hervordiam*: ubi inter alios *Petrus Mosellanus* auditorem habuit: *Ludolphus Heringius*, *Hammonem*: *Alexander Nepelensis*, *Osnaburgam*: *Ludolphus Bavincus*, *Susatum*: *Tillemannus Mullerus*, *Attenodorum*: à quo *Johannes Rivius*, *Attenodoriensis*, vir doctissimus & multis editis scriptis clarus, *Georgii Fabritii*, *Adami Siverii*, *Johannem Magdeburgii*, & postea *Augusti*, Electoris *Saxoniae* Præceptor, primum institutus est. Negari enim non potest, hominibus *Westfalæ* & eorum discipulis primam & præcipuam in elegantiarum literarum & linguarum studiis, primum in *Germania* excitandis & propagandis, laudem deberi. Nam & ante hos, qui jam nominati sunt, in superioribus *Germania* *Ludovicus Dringeburgius*, *Westfalæ*; studiorum scholæ *Stadiensis* Rector, *Jacobum Wimpelingium*, *Johannem Reuchlinum*, *Georgium Simlerum*, *Stabium* & alios insignes virtute & doctrina viros informavit. Ex quibus *Johannes Reuchlinus*, *Phoracensis*, postea comœdias latinas, *Hennonem* & *Sergium*, à se scriptas, exemplo tum in *Germania* inaudito edidit: illam quoque *Heidelbergæ* spectandam publice exhibuit, quas *Georgius Simlerus* & *Jacobus Spiegelius*, *Wimpelingii* ex sorore nepos, scholiis deinde illustravit.

Wimpelingius vero, integerrimæ vitæ Theologus, & alioquin nullius honestæ disciplinæ rudis, hoc ipso anno 1500, adolescentiam edidit, quo libello, ad literas & omnes virtutes studiose colendas, & fugienda vitia, ex omni genere scriptorum & poetarum collectis insignibus sententiis & exemplis, adolescentes cohortatus est. Eodem anno orationem de mirando fœdere duarum in Christo naturarum die annunciationis Angelicæ habitam, & de *Germania* libellum ad Senatum *Argentinensem* emisit, nec gravatus est amore pietatis agere

paedagogum aliquot magnæ spei adolescentibus, inter quos *Wolffgan-
gus*, Comes à *Leovvenstein*, *Ludovici* filius, cui adolescentiam dedicavit:
& *Jacobus Sturmius*, postea inter Nobiles doctrina, consilio, prudentia
in toto imperio clarissimus, cui de integritate animi & corporis tuenda
libellum inscripsit: & ex sorore *Wimphelingii*, *Magdalena* nepotes, *Jaco-
bus Spiegelius*, qui *Lexicon juris* postea edidit, & *Johannes Majus*, div. *Ca-
roli & Ferdinandi* Consilarii, præcipui fuerunt. *Erasmus* etiam *Roteroda-
mus* Lib. de conscribendis epistolis & primo Adagiorum opere Parisiis
innotescere, & triennio post, *Enchiridion militis Christiani*, velut ar-
tem ac summam veræ pietatis & religionis Christianæ, & *Panegyri-
cum* in laudem *Philippi*, Archiducis *Austria* & Principis *Castellæ* ex *Hispa-
nia* & *Gallia* reducis luculentum edens, magis etiam inclarescere
cœpit. Efflorescebant eodem tempore, *Conradi Pentingeri*, *Bili-
baldi Pirchaimeri*, *Ulrici Zasii*, *Thoma Wolffii*, Jureconsulti in *Germa-
nia* humanioribus literis excultorum, & post *Rodolphi Langii*, *West-
fali* & *Agricola Erisii* poëmata, *Conradi Celtis*, *Hermannii Buschii*,
Ringmanni Philesi Poëtarum ingenia, quæ deinceps, antesignanis &
ducibus *Erasmio Roterodamo*, & postea *Philippo Melanchtone*, tum
adolescente, barbariem ex *Germania reliqua* profligarunt. Cum
Langius, jam emeritus & decrepitis senex, superato ætatis anno
octogesimo, tandem inter prima certaminum *Lutheri* ac emen-
data religionis initia, *Monasterii* vitam in terris suam clausisset.

Hæc de initiis & autoribus primæ emendationis studiorum in
Germania, hoc loco, mentioni *Rodolphi Langii* & *Alexandri Hegii*, *Mo-
nasteriensium*, qui primi in *Germania* poëmatis elegantibus editis clari
sua ætate fuerunt, & meliorem discendi ordinem, & puriorem lati-
næ orationis formam monstrarunt, intexenda esse duxi.

Subjicio etiam epistolam ejusdem *Davidis Chytræi*, quam dedit
ad clarissimum poëtam *D. M. Henricum Meybomium*, Professore *Hi-
storiarum* & Poëseos in inclyta *Academia Julia*, quæ est *Helmstadtii* & c.
quæ quoque publici juris est facta.

Clarissime vir, vero Deo & Musis carissime. Ex amicorum lite-
ris magna cum voluptate intellexi, te ab invictissimo Imperatore *Ru-
dolphi*, *Cæsare Augusto*, lauro Poëtica ornatum esse, ac ut integrum be-
neficium & munus absque omni impendio tuo haberes Illustrissimi
Principis tui, *Henrici Julii*, munificentia, flagitatum à Decuria scriba-
rum aulae *Cæsareæ* præmium, esse perfolutum. Ergo verò cum multos

SSSS SSSS 3

jam

jam annos præstantis ingenii, doctrinæ, virtutis ac scribendi facultatis tuæ lumen, in illustro illo Academiæ Juliæ fastigio fulgens, omnibus bonis & doctis viris, totique literariæ Reipublicæ in his gentibus notum & gratum & amabile esse sciam, non tam tibi, quam multo ante omnium bonorum & sapientum calculis titulum hunc longe superasti, de novi ejusmodi honoris & ornamenti accessione, quam honori ipsi & laureæ poëticae splendori, & Academiæ imprimis & patriæ tuæ *Westfalia*, gratulor; quæ omnium primos *Germania* Poëtas & elegantiorum literarum & purioris latinæ orationis instauratores avorum memoria dedit, neque hoc tempore se effectam ostendit.

Multis enim ante *Conradum Celten*, quem principem *Germania* Poëtam laureatum vulgo ferunt, annis homines *Westfali*, *Alexander Hegius* & *Rodolphus Langius* genere ac ingenio nobilis, cum *Rodolpho Agricola* ex *Italia* reversus, poemata elegantia ediderunt, & cohortationibus ac exemplo suo ad puriorem latini sermonis formam & rectius discendi & elegantius soluta ac ligata oratione scribendi ratione alios, primi excitarunt.

Jam ferre Poëtas [canit Hegius]

Barbaria in media Westfalis ora potest.

Langius hoc decorat majorum sanguine clarus

Monasteriaci lausque decusque soli.

Primus, Melpomenen qui rura in Westfala duxit,

Cum caneret laudes, maxime Paule, tuas.

Hic ante obsidionem *Novestianam*, cujus historiam, sicut & excidii *Hierosolyma* postremi, carmine descripsit, multis ante *Celtem* coronatum annis, in patria floruit, & *Alexandrum Hegium*, qui *Daventria* scholam politiorum literarum & velut seminarium ingenii & diligentia præstantium adolescentium, ac in his *Erasmi Rotodami*, fideliter ac feliciter excoluit, singulari fide & benevolentia complexus est: una cum *Rodolpho Agricola*: qui, cum sexennio ante mortem *Daventria* in scholam *Hegii* venisset, ac *Hegius* eruditorum puerorum ei scripta monstrasset, *Erasmicum* cætetis, prætulit ac videre puerum [ætatis annum 14. tum vix ingressum] cupivit. Quem ex sua classe prodeuntem capillitio apprehensum, acriter intuens, hanc vaticinam vocem adjecit: Tu *Eris Magnus*. Fuit autem *Erasmi Celsi* ætate æqualis, vel sexennio junior. Quibus *ὄνυχ* poros erat *Hermanus Buschius* Poëta, nobili familia in agro *Monasteriensi* natus, *Langio* lingu-

guinis propinquitate junctus, non poematis solum editis sed aliis etiam, quibus ad humanitatem informari tenera ætas solet scriptis, & *Erasmi Roterodami* aliorumque præstantium virorum amicitiiis clarus: de quo *Marburgi* postea docente, illiusque successore *Glandorpio Monasteriensi*, *Casparus Rodolphus* pronunciavit, nullos *Academiam Marburgensem* eloquentiores viros, duobus *Westfalibus*, *Buschio* & *Glandorpio* audivisse, ac *Glandorpii* ingenium ac doctrinam, profectioes, fidem ac dexteritatem docendi in diversis *Saxonia* & *Westfalia* urbibus singularem popularis & collega tuus *V. C. L. Reinerus Reineccius* vita illius publice edita jam pluribus notam & caram reddidit, addito etiam Epitaphio, quod *Henricus Sibaus Olphenius* ipsi composuit: cujus postremum præcipue distichon argutum, & repetitione ac memoria dignum videbatur:

*Lector amans Christum, cubat hic Glandorpius, ille
Musarum cultor Pieridumque chori.*

*Quem nunquam vivum Germania tota prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.*

*Clavaque quem parvi fecit Hervordia vivum,
Mortuus, hic illi gloria semper erit.*

Superior his ætate *Johannes Pollius* fuit, qui *Osnaburga* optimarum literarum studia juvenis rexit: unde ab Episcopo pulsus vicini comitis *Tecklenburgensis Conradi* Ecclesias constituit ac rexit, editis subinde quæ & pietatem, & doctrinam alerent, & Magistratus sui aliorumque bonorum virtutis celebrarent, poematis eruditissimis sane & iterum legi non indignis. Habui & in hac *Rostochiensis* Academia collegam & amicum *Johannem Bocerum* prope *Mindam* in *Westfalia* natum: cujus ingenii felicissimi ubertatem crebro admiratus sum, dum post cœnam sæpe ac *Ennii* exemplo bene potum, magnam optimorum versuum copiam fundere sine ullo labore & sine literis viderem, cum mihi matutinis horis magna animi intentione lucubranti, & multa subinde delenti ac retexenti vix extundere aliquid in soluta oratione liceat, iterum legi non indignum. Vere igitur *Hegius*, quem primum velut ducem & choragum renascentis superiori sæculo politiciæ doctrinæ & artis poëticæ fuisse scimus, de patria tua cecinit:

Vatum terraatrix, tantorum, Westfala gaudet,

Lumine te dextro docta Thalia videt.

quos cum tu ingenio, doctrina & scribendi facultate plerosque superes & omnes:

Exstinguas stellas exornas ut atherens sol:

ta-

tamen nunc novum decus Poëtae à Cæsare ipso lauri corona ornati, patriæ inferis. Nemo enim illorum, quos nominavi, à summo Christiani orbis Principe ac Imperatore ipso, quod sciam, coronatus unquam fuit.

Merito igitur patriæ tuæ, de novæ hujus laudis accessione & gloria gratulor, & Deum auctorem fundentis carmina venæ uberis ac foecundæ, ardentibus votis precor, ut te deinceps etiam doceat, gubernet ac servet, ut organum gratiæ & laudis divini Tibi & Ecclesiæ Dei ac discipulorum studiis salutare, perpetuo maneat, & venam ingenii divinitus tibi donatam, ad Dei auctoris & donorum Dei, & hominum bonorum & de aliis bene merentium, per quos imaginem & vices Dei in terris gerentes. Dona nobis sua Deus impertit, celebrationem conferas. Haftenus *Chytraus*.

Huc usque pro nostris *Westfalibus* aliorum audivimus celeberrimorum virorum testimonia, ex quibus abunde constat, *Justi Lipsii* calumnias, in gentem nostram effusas, esse injustissimas, Dominus Jesus illi det mentem meliorem.

JOHANNIS DOMANNI, OSNABURGENSIS,

Pro

WESTFALIA,

AD CL. V.

JUSTUM LIPSIUM, APOLOGETICUS.

Illustri & Generoso Domino,

DOMINO JOHANNI,
Comiti Oldenburgensi & Delmenhorstano, Dynastæ in Jevern,

Domino meo Clementissimo submissè dedico consecroq.

JOHANNES DOMANNUS.

Libellum hunc, quem pro antiquissima & nobilissima domo Oldenburgica, universaq; adeo Westfalia, adversus acerbas in eam *Justi Lipsii* epistolas, confeci, cur potissimum sub illustri nomine tuo, Ge-
11.

nerosissime Heros, in manus hominum venire voluerim, causa neque ob-
 scura, neque levis est. Nam & epistola illa, quas dixi, in vestram precipue
 domum injuriosa sunt & contumeliosa, & occurrebas tu inter ceteros proceres
 cumprimis, qui, quod ex regio Westfalico sanguine perpetua serie mascula
 descendis, vel hoc saltem nomine, hoc quicquid est à nobis, ob communis
 patria defensionem, laboris susceptum, benigne & libenter accepturus vide-
 baris. Scripsit autem epistolas illas Justus Lipsius, bonarum artium in
 Batavis Lugduni Professor Publicus, vir alias sane quam doctissimus, &
 editis eruditissimis scriptis longe lateq; celebris, & scripsit Oldenburgi in
 ditionis tue oppido. Cum enim ante annos quinque, ob imbecillam valetu-
 dinem suam, ad fontes acidos tenderet, & per territorium tuum iter face-
 ret, substitit aliquamdiu Oldenburgi, propter circumfusos undique tunc
 equites peditesq; qui, ut ipse scribit, in Belgium forte parabantur: & inte-
 rea ad amicos prater alia, qua de hospitibus plus quam Germanicis, languide
 sic satis & muliebriter quæritur; etiam indigna de indigenarum ingenitiis
 & sede tua & oppido Oldenburgi, scripsit. Atque hoc quidem semel ite-
 rumque fastidioso contentu nidulum vocitat, idque, quo magis animi im-
 potentiam patefaciat, mirabundus & cum exclamatione: hic, ait, [in quo
 nidulo?] teneor Oldenburgi inter homines semihomines: Illa vero etiam
 eo usque lancinat, ut vix humana esse velit. Nam, ut jam dixi, semiho-
 mines vocat, & teneri se ait in Scytharum eremia, nec inter homines satis
 certo: rum amico suo confirmat [necdum omnia refero] barbariam nullam
 barbariam esse, præ hac Westfalia. Hæc ille tum itemque alia complura,
 ad amicos privatim; quæ asservavit ab eo tempore inter chartas suas, donec
 hoc demum anno etiam in publicum emisit, excusis primum Lugduni Ba-
 tavorum centuriis duabus epistolarum & mox Francofurti recusis. Inter
 qua sunt profecto nonnulla, qua merito vident viri docti in tanto viro; sunt
 alia, qua viri graves non injuria stomachantur, & ex his quadam etiam
 severiorem animadversionem mereri asserunt; de qua non est mihi volenti
 pluribus disserere. Illud certe nemo non æquus rerum estimator nobis lar-
 gietur, confido, ut dictis dicta ulciscamur [quanquam ne ulciscimur qui-
 dem] saltem ut dicta acerba & criminationes modeste à nobis propulsemus,
 & injuriam nobis factam publice attestemur. Quo equidem consilio ad hanc
 Apologiam scribendam aggressus sum, eamque eadem, ut dicere cœperam,
 de causa, illustri nomini tuo & publico destinare debui. Huc accedit, ut
 ajebam, quod ex regio Westfalorum Saxonum sanguine hand dubie pro-
 creatus es, atque etiamnum inter ceteros circi Westfalici & vicini Bur-
 gun-

gundici proceres, potentia & gloria flores. Etenim à Witekindo Magno, Rege Saxonum & Principe Angrivariorum, continua & nequam interrupta serie mascula, vigesimus primus numerarius, ut ex Annalibus accurrunt Genealographi. Et, ut est domus vestra Oldenburgica, magnarum Regum filia & soboles; sic eadem ipsa potentissimorum Regum & Ducum stirps est & mater. Nam abavus tuus, Theodoricus fortunatus, qui utrumque Comitatum Oldenburgensem & Delmenhorstianum omnibus agnatis defunctis, solus possedit; inter ceteros liberos, ex Hedwiga matre, Ducis Slesvicensis filia suscepit etiam proavum tuum, Gerhardum, bellicosum, & hujus fratrem Christianum, patrum majorem tuum, qui Adolpho Avunculo postea in Ducatibus Slesvicensi, Holsaticis, Stormaricis, Wagriæ & Ditmarsicis successit, & ad amplissima etiam regna Daniæ, Sveciæ & Norwegiæ legitima procerum electione est coelectus. Cujus partem majoris tui serenissima & illustrissima posteritas & agnati tui sunt. qui in die præsumt Daniæ & Norwegiæ Reges & Holsatiæ Principes. Ut jam ob communis etiam patriæ defensionem non immerito videatur libellus tuus noster in tuam sese clientelam dedere. Ceterum non ignoro, esse qui denudatas hasce Lipsio facetias fuisse putent, neque propterea verbum unum tantum viro commutandum. Quibus ego & infra respondi, & hic repetendum videlicet, committendum non esse, ut multorum fides ex unius mendaciis dependeat. Neque illi sibi solis liquere velint, civiles jocos inter, & acribos morsus quid intersit. Haud ita teneri sumus, ut verbulo transiremur; neque tam crassa, ut punctiones, qua vulnerant alius, non sentiamus. Denique ex scriptore nostro didicimus, fama contentum, virtutes ipsas contemni, ac proinde prosperam nostri memoriam studiose nobis esse parandam & conservandam. Si qui vero etiam sunt, qui obviandum quibus huic audacia fuisse asserant, sed id ab alio factum malim, qui ab arce & eruditione sit instructior, quam sim ipse; prorsus mecum sentiunt. Neque enim nescio, quam non sim ipse cum Lipsio conferendus: & habere me inter populares quamplurimos, qui ingenio, doctrina, & judicio longe mihi antecellunt, non solum scio & profiteor ingenue, sed etiam unice gaudeo. Verum cum illi hætenus taceant, facturi fortassis idem quod nos, si opus sit, paulo post accuratius: malui interea ingenii mei nervulos periclitari in tam parva causa, quam communi parenti patriæ qualicumque studio meo desisse. Hæc saltem studium meum, & istam, qua in respondendo usi sumus, rationem cum ea, qua erant in nos & in veritatem ipsam aliquanto impudenteriora immodestioraque, quanta fieri potuit modestia & verecundia in ante-

rem regessimus, si viris cordatis & gravibus probem, non est, opinor, cur in bona causa vel mihi plus nimio diffidam, vel alios plus a quo pertimescam.

Habes, Generosissime Heros, quid me tam ad scribendum, quam sub illustri nomine tuo evulgandum hunc Apologeticum impulerit. Reliquum est, te rogem, ut communis patriæ amorem & devotum inclita domui vestra Oldenburgicæ studium meum clementer agnoscas, & libellum hunc, meque adeo ipsum in manum & clientelam tuam recipias. Quod ut facias, quia maxime cupio sic abs te, Generosissime Domine, qua par est, animi cum submissione maximopere contendo. Vale, Heros inclyte & salve. Ex illustri Julia, Helmestadii XI Cal. Sextileis, Anno MDICXCI.

APOLOGETICUS.

De constantia cum primum edidisti, *Iuste Lipsi*, tantum confestim & tam illustre nomen apud omnes consecutus es, ut qui *Lipsium* ignoret, parum in bonis literis & studio sapientiæ profecisse credatur. Innotueras quidem jam ante tu notis quibusdam Criticis: & de Saturnalibus dederas: etiam alia quædam tua circumferebantur, sed quod in versu est:

Pro captu lectoris habent sua fata libelli,

id tuis istis laboribus accidit, consilium tuum aliis aliter interpretantibus. Erant, qui futilia & curiosa hæc appellabant; pauca lectionis mancipia, quorum scilicet bibliothecæ nil nisi rabularum ventosas velitationes olent, supinitate & inscitia scientias contemnunt, titulo curiositatis: ipsi *ῥεμβόημοι*, [ut non minus vere, quam eleganter *Josephus Scaliger* ad te scripsit] *μεταρολογῆσιν*, & hoc unum student, ut mulieribus placeant eorum studia. Hi superficialii locutores ne pilum quidem movere nos poterant, ut scripta illa tua abjiceremus, ac non ambabus potius manibus, sive amore tui, sive iudicio aliquo nostro impulsus, amplecteremur. Alii non reprehendere quidem illa, ut frivola aut inutilia prorsus, neque rursus laudare ut necessaria modum hic cumprimis desiderabant, qui si absit, nasci aiebant, criticis huiusmodi tricis, opinionem magnæ scientiæ in ingeniis juvenum, alii arrogantiam & contemptum caterorum: carissimi thesauri furtum fieri, videlicet temporis, quod non nisi parce, in his inanitatibus [ita appellant] sed rerum cognitione consequenda, largiter sic dispensandum. Hæc illi ita differebant, quæ ut vera esse

Tttt tttt 2

non

non negabam, ita eadem ipsa te non ignorare, certo mihi persuasum habebam: adeo ut præclariora à te & sapientiora expectare non dubitarem, atque etiam modum Critices, & censuræ illius, in te, & aliis, tuo jussu & exemplo mihi pollicerer.

Neque me falsum ea res habuit. Edidisti enim, ut dicere ceperam, non multo post de constantia opus sine comparatione egregium, quo & complevisti veterum judicia, & præsentis animos complevisti omnes: tum spem in futurum scribendi, omnibus omnem ademisti, præterquam tibi. Ut enim certum nobis est neminem unum esse, qui ad tam accurate elaboratum opus quidquam addere possit: ita de te non dubitamus, quin quod optimum jam est, facere possis melius, si recorderis & sequaris, quod te *Levinus Tertius* sapienter, pie & graviter monuit. Quod si facias ipsius monitu, si non facias metu aliorum [metuis enim offensionem tuæ religionis professione] tamen abunde sufficit opus istud, ad perpetuitatem nominis tui & gloriam æternam. Cæterum censuram in Criticos illos & de stylo conformando præcepta, toties nobis promissa, frustra à te summo rei literariæ dictatore hæcenus expectamus.

Interea dedisti nobis libros sex politicorum, quibus tamen famam & magnitudinem nominis tui apud paucos auxisti. Non apud me; quod non esset locus augendi in eo, quod jam pridem summum mihi, & pene dixi, sanctum erat, non apud alios, quod plus constantiæ tuæ tribuerent, quam ut pressæ & reconditæ sapientiæ loculentum & invidendum specimen multis partibus præfererent politicis libris, quos de industria & labore quamvis immenso, atque tantum labore duntaxat tuo testificari dicebant. Nec ideo tamen etiam minus gratum opus habent: laudant imo, & utuntur ut ecclesiis suis aut quibusdam quasi locis communibus. Divulgaveras etiam antea politica [nec enim cessas de nobis mereri] centuriam unam selectarum epistolarum, quas avidissime, tanquam quædam arripimus; mirum rati, id quod res est, fore, ut hic intimum animi tui sensum videremus: simul de multis variis rebus obiter erudiremur. Cogitavit spes nostras epistola, qua in fronte primæ centuriæ lectorem compellas, scribis ibi: adeo te bis non scribere, vix bis ut legamus aut corpus tuum sit cum scribis, ita illas. Languere eas tecum, citari, dolere, gaudere, calere, frigere tecum. Ingenii demique & animi tui, imo & vita non vanam imaginem in hac tabellâ.

His tuis verbis incredibile est quanta animi nostri cupiditate fuerint inflammati ad epistolas tuas avidissime perlegendas, quo te, [quem virum!] nossemus, detectumque & ut ais, nudum penitus introspiceremus.

Et de eruditione quod sperabamus, eadem epistola polliceris.

Ais: *Intercurrunt epistola ex professo philologa, aut philosopha, & salubrium aut docentium praeceptorum plena. Consulimus, monemus, cavemus apud juventutem praesertim: quam cura mihi semper ad utilia non solum sed ad amena ducere, & animo ac robore ponere supra hunc vulgum. Omnino verba & facta digna constantiae Professore. Itaque paulisper valere iussis studiis ceteris, huic toti incubuimus, legimus, relegimus. Quid dicam Lipsi? quid aliud quam mirari nos? summa omnia. Mirificum sententiarum pondus, tum verba rebus aequata, atque haud scio an pauciora etiam alicubi rebus verba. Constantia, gravitas, modestia, venustas, animi demissio, & mitto cetera: summa haec, inquam, omnia, si abessent, quae sequuntur, arrogantia, fastus, contemptus ceterorum, confidentia, contumelia, quae & ipsa Lipsi [patere obsecro & audi verum] summa in epistolis tuis, hoc est [ut tu interpretaris] in te omnia.*

Protea quendam aut Empusam videre nobis videmur, cum has tam varias formas intuemur, in quas tu subinde te induis.

Quis non miretur & vehementer collaudet singularem animi tui moderationem, cum scribis? *Nullam tam felicem regionem esse, qua felicissima omnia ingenia includat, sed sparsa illa, & Deo dispensante, suam cuique terra velut gemmulam, qua illustret. Cent. 1. Ep. 22.* E contrario, cui vel plumbeo Stoico stomachum non faciat ista insolentis animi tui libido, qua *Germanis* passim, tam stulte quam ferociter insultas? Scripsisti Satyram in laurum Poëtarum Germanorum, qua & ipsos & invictissimum Imperatorem nostrum injuria affecisti. Monitus es hac de re; Sed quid facis? respicis? scilicet, ut solent petulcae mentes, cumulas injuriam injuriis novis, atrocibus & intolerandis: *Vide, inquis, ride, & si vir es, pro Satyra nostra Satyram in Satyros illos scribe. Cent. 1. Epist. 23. ad Jan. Douf.* Itane vero Lipsi, des tu, & jubes ridere alios? Nae tibi risus iste in ejulatum vertet & exitium, si pergis. Crucem haec merentur, crucem Lipsi, quae tu risum & ludum putas: quam tamen ego haud tibi precor, sed pro ea sanum duntaxat sinciput, & mentem meliorem: Ita tibi faveo.

Tttt tttt 3

Hor-

Hortaris alibi juvenem ad modestiam, pietas, inquit, tibi in mente, modestia ante oculos, & demissio animi, ad quam nunquam satis te hinc. Illa fundus bonorum omnium & fundamentum; nec pestis alia plura ingenia abripuit quam confidentia & aestimatio sui. Tu abstine. Cent. 1. Ep. 77. Omnino recte & graviter. Mox hujus tui præcepti, & tui ipsius oblitus, ab eo, quem tam sapienter ad modestiam hortabaris laudes tuas immodice & stulte decantatas, palam audis & probas. Sic enim canit ille de epistolis tuis:

Ecce tabellarum liber exit Lipsiacarum

Doctior.

scilicet Ciceronis libro. Et mox:

Judice me, cede & victum te Marco satere

Aut certe aequatum Lipsiada calamo.

En, qua ratione, quaque fronte te Ciceroni anteponit? Stulti judicis, ut in proverbio est, stulta sententia. Hos ego vitillatores procul ab eruditorum hominum auribus garrere jubeo. Tu vero hæc vides *Lipsi*, nec pateris tantum, sed etiam divulgas? quæ tua auctoritate comprimenda fuerant, non propaganda, qui virtutem rem esse non verba profiteris. Quanquam ego juvenem illum facile excusabo. Laudavit præceptorem & alterum parentem suum, hoc recte; laudavit nimis, tribuimus ætati, & amoris abundantia. Tui officii erat, errantem eum in viam reducere; nec verbis duntaxat, ut dicebam, differere de virtute, sed re ipsa & exemplo tuo, ad eam nobis præire.

Neque tamen semper magnifice de te sentis & loqueris; interdum etiam nimis abjecte. Quis non rideat te tam demisse ambientem amicitiam Jacobi Cujacii? *amare*, inquit, *liceat*, si *provi non licet*. Item: *Si dignum me habes, quem redames, quem rebus item tuis consiliisque [de literis loquor] participes, in celo me collocabis, nova apothecæ.* Procum videmur nobis audire quempiam, ad fores domine ejulantem, illiusque duritiam detestantem. Et ejulasti tu tandem, donec importunitate tua verbum tandem extorsisti viro illi de te; in quo operæ pretium est ridere, quam juvenilliter triumphes. At viri docti, qui te norunt, & illum rectius quam tu, persuadent nobis eo ipso in loco non tam laudatum, quam irrisum te ab illo. Non solet vir maximus quenquam præter supraque modum laudare. *Vir* ait, *ingenii probi & recti.* Item: *Feliciter jus interpretatur Justinianum* &

& quæ sunt his similia. *Obj. 21. Cap. 16.* At perfectissimum rei literariæ colmen neminem vocavit unquam, præterquam *Lipsum*; quem cum sic vocabat, ridebat; quem ipsum ut admiratur sic & diligit. Sed laudaverit sane te, ut faveamus tibi: & volumus enim, & æquum est: At indignum erat magnitudine atque dignitate tua, tam demisse ambire, & in adepto jam elogio tam pueriliter exultare.

Indignissimum vero te, & modestis auribus molestissimum est, quod te audes etiam præferre Cujacio & Scaligero. Deus bone! quibus viris, quis! sed parcam tibi. Scis *Lipsi*, quale Epigramma libris de constantia præfixeris. In eo tu astrum es; illi, stellæ singulæ. Nec est, quod tu mihi dicas, dilaudatum te esse ab alio. Tuus liber est, cui præscripsisti versiculos, tua opera publici facti sunt; ne scilicet tam insignis liber, non etiam aliqua stultitiæ nota esset insignis. Obtura aures tuas, obtura ad hujusmodi adulantium an ridantium voces, ne crede de te aliis, quod tute non credis tibi. Tune astrum? illi stellæ singulæ? Te ne splendore tuo luminibus obstruere? Nimirum, quemadmodum *Asellus* juxta *Cancris* præsepe *Luciferum* offuscat, vel *Caniculam*. Certe ita est, tu sidus: *Lucifer Scaliger*, *Lucifer Cujacius*; qui divini ingenii sui, & judicii acerrimi radiis, plus quam *Cimmerias* tenebras dispulere, ut quæ olim profunda nocte nigrescebant, *Philosophia* inquam & *jurisprudentia*, orto eorum splendore, jam luce clarissima candeant; ad quorum jubar si te comparemus, paulo minus quam nebula es. Et tamen hoc satis est tibi ad magnam laudem, aliquo saltem loco esse post hos heroas. Hæc si acerbiuscula videntur tibi *Lipsi*, ignosce veritati & pietati præceptoribus debita; quibus ego, quia quotidie proficio, & hæc & plura debere me profiteor.

Transeamus ad cætera, *Jano Douſæ*, V. N. de indice *Nund. Francofurtensium* scribis. En habes, inquis, sed sterilem bonarum rerum: & nihil nundina ista ad *Phæbum. Cent. 1. Epist. 15.* Non dicam, quomodo hic illuserint tibi rabulæ, sane iracundam genus hominum, quod litium sacculos contemni à te putarent. Hoc tantum dicam, quod de vulpecula narrari volebant tibi. Esuriens illa, ut scis, cum racemos de vite pendentis, nulla arte posset prenfare, infecta re abscedens, agedum, inquit, desine, immatura uva est, & acerbo gustu insuavis. Sic à te contemni putabant, quæ ignoras & assequi nequis. Nesciunt illi te *Jurisconfulti* titulo donatum esse, quod sci-

mus

mus nos : ideo litem illam tibi movent , quam ego vobis relinquo. Illud videamus potius. Ais : nihil nundina ista ad Phœbum. *Milium tamen spicilegia edita.* Hæc igitur, *Lipsi*, ad Phœbum? hæcerum bonarum appellatione tibi veniunt? faciamus ita. Quid igitur sibi volunt illa? *michi crede [inquis] corrumpendis ista, sive peracendis potius libris literisque sunt, si dimanat hæc labes & dimanabit; ita procerum hanc video: & tantum ingenii specie blanditur hic calor.* Jam hoc tanquam Apollinis oraculum accipimus : sed non percipimus satis, quomodo res bonæ perdendis libris & literis sint. Jam laudas Criticæ tanquam certum iter ad immortalitatem nominis & famam : Jam damnas eandem, ut quæ perniciem rei literariæ molitur; neque distinguis tamen inter illam & istam satis, *Lipsi*,

Stercus ut accipitris nec benè nec male olet.

quin excitas præstantem illam ingenii & iudicii tui vim & doces nos quousque Venus nostra [ita loqueris] à vulgo inspicere debeat. Apud Pomponium Jctum de Tuberone legimus, quod sermone antiquo usus scribere affectarit, atque idcirco libros ejus parum gratos haberi. Et è topicis Aristotelis didicimus, neque superstitiosè, neque supine nominibus utendum esse. Illud, inquit *Scaliger*, faciunt publici: hoc privati nominis decoctores. Tu, *Lipsi*, doce nos sodes pergere iter istud medium & utroque periculo vacuum, dico tibi, nihil facere potes publicè utilius. Non nescis, quam facile etiam optima quæque cum novis prurientes aures commutent. Hoc jam pridem fecerunt improvidæ ætates, quæ abjectis Ciceronis libris, *Critica illa nocturna versantque manu versantque diurna*, quod non dubito, quin fieri nolis. Huic morbo, quoniam unus omnium rectissime potes, medere *Lipsi*, ure, si placet, seca, comprime temerarios conatus tot censorum; doce nos verum usum delitarum vocum; explica de stylo & imitatione; & præclare admodum de literis, & multorum studiis mereberis. Reposuimus tibi jam pridem minerval, gratiam & gloriam immortalem.

Huc me avexit amor tui, & studium erga Rempublicam literariam. Illuc redeo, tam diversa his epistolis de te prodita esse, ut non *Lipsium* illum constantiæ autorem, sed monstrum aliquod, aut propudium hominis multiforme depictum hic arbitremur. *Nomine reladat [inquis] quod unum aut alterum alibi lesi. Aperte, fateor, nec tamen nominatim.* Se ille, quicumque est prius prodar & acceter, nec sum

sum est, quam me. Cur non liceat? Pestes & vitia hæc hominum detegi, ex usu hominum est, etsi non ipsos. Epist. ad lect. cent. 1. Quid ais? aperte lædis tu, neque nominatim tamen? quid igitur Mellerum nominabas? quid alibi Petraros? ac, ut cæteros mittam, quid causæ erat obsecro, ut Sambocum non pro opinione tua eruditum esse scriberes? quod ut verum esset maxime, tamen publice id sciri minime intererat. Quod neque tu quidem ignorabas, cum istud scriberes. Subjicis enim: *Tecum hoc sit*, scilicet, quod jam in ore est omnium. Cent. 1. Epist. 2. & 28.

Hæc aliaque talia, cum in prima epistolarum tuarum centuria notarem, & simul præstantis ingenii tui vim & præclaras animi dotes nobiscum putarem, mirati sumus subinde vehementer, te hæc non videre. Ac multo etiam magis, ex amicis tuis, quos & plurimos habes per Europam passim, & præstantissimos, neminem existisse hæctenus, qui te hæc monuerit, & nævos istos, quos tu, quia oculos tibi fascinas, non cernis, detexerit. Ac me quidem his de rebus ad te scribere cogitantem atque etiam aggressum, non semel deterruit ab instituto pudor, ad quod amor & admiratio tui me hortabatur; Diemque ex die jam expectabam, ut tuopte ingenio, sicut pölliceris, quicquid hic peccatum est, emendares: cum prodit, ecce, centuria altera epistolarum tuarum: quæ ipsa quam avide à nobis lecta sit, nihil attinet scribere. Deprehendimus hic te, ut paulo æquiores & modestiores erga singulos, sic adversus S. Romani Imperii provinciam nobilissimam, *Westfaliam*, & ejus incolas, ac cum primis Generosos & Illustres Comites *Oldenburgenses* extreme injurium & contumeliosum: ut acuisse te ad maledicendum, & quam etiam eo in genere vir sis, quamque, si velis, egregie calumniari & convitari possis, posteritati ostendere, quasi dedita opera voluisse videaris. Quod igitur præ ingenio pudore imperare mihi non poteram, ut te, tantum virum, de quibusdam tuis vitiis monerem: id amor patriæ, postquam accessit ad admirationem tui, tandem extorsit. Idcirco & superiora illa recensere volui, & pro *Westfalia*, patria mea, deinceps apud te differere; non alio fine, quam ut debitam patriæ pietatem præstem, & amorem tui meum tibi declarem: tum, ut tu monitus posthac modestius de te, & honorificentius de aliis, [quod solum propemodum tibi ad veram sapientiam & virtutem deesse videtur] sentire & loqui discas,

Uuuu uuuu

ac

ac inprimis ab injuriis aduersus Imperii ordines & nationes universas temperes, ne perniciem & exitium certum ipse tibi attrahas. Poteramus, fateor, quibusdam te condonare convitiis; At nimis es magnus, *Lipfi*, vir. Quare tuo exemplo ubi alius idem tentavit, scelus suum auctoritate tua tueri volet. Igitur retundenda hæc audacia fuit, ne tibi aliquid hac in re fuisse videaris, neve aliorum fides ex tuis criminationibus dependeat. Utor autem hic, *Lipfi*, & utar deinceps, quoad ejus facere possum [exemplo de te sumto,] verbis summorum virorum, præceptorum meorum, quos ne tu quidem, ut opinor, audes contemnere, idque faciam partim propter sermonem ipsum, in quo, quis tibi tam delicate sapienti, præter hos paucos, quos probas, placere queat? partim ut plus ponderis habeat apud te, quod non à me, sed velut ab illis tibi dictum videatur. Nec institutam *δικοπολιαν* meam, sed te sequar, qua isti prius. Ais: *Oldenburgi, mi Doufa, sum, ubi malum istud*, inquit. Cent. 2. Epist. 11. Imo, *Lipfi*, si recte virum illum novimus, non inquiet. An ille ignoret nobilissimam & vetustissimam domum Comitum *Oldenburgensium*, & sedem eorum *Oldenburgum*? aut si ignoret [quod propterea non dico, quia dubitem, sed ut hanc rem nihil interesse ostendam] an aliter querere possit, nisi verbum illud [malum] addat: non hec ele faciat. Didicit vir nobilissimus cautius loqui. Non debuisti igitur verbum ex tui cerebri officina depromptum illi affingere. Sed non ignorat ille, sat scio, generosam familiam Comitum *Oldenburgensium*: neque nescit *Westfaliam*, [quæ ab ortu *Visurgi* fluvio, ab occasu *Rheno*, versus meridiem *Hassia* & *Melibocis* montibus concluditur] versus boream *Frisia* fines attingere, usque ad urbem *Bremam* & *Oldenburgensium* ditione terminari. Quare non erat necessarium subicere: *Oppidulum est in Westfalia, tertio lapide à Brema*. Quæ tamen sententia, ut est ex semisse vera, sic ex altero semisse falsa est, nec minus de tabellariis, quam de veritate male meretur. Illis cum quinque pene milliariibus à *Brema* distare norint *Oldenburgum*, atque ea pedibus suis, vix ægre, ut ajunt, die uno emetiantur; pro errore tuo hoc unum imprecantur tibi, ut assignatis tibi, secundumputationem tuam, in singula milliaria grossis binis, ire redire isthac aliquoties cogaris. Ego etsi errorem leviusculum parvi facio [necque enim in mercede tabellariorum tuum præscriptum sequentur mercatores] velim tamen hæc à te prodita non esse. Videris enim

præcipitis incuriæ specimen his ipsis dedisse : & ut initio hujus epistolæ, modo aliquid diceres, nihil pensi habuisti, quam accommodate ad animum Doufæ diceres : Sic hoc loco ostendere voluisti, verum esse, quod alibi jactas, quod manus tua nimis quam facile mentem sequatur. *Epist. ad lect. cent. 1.*

Pergis dehinc explicare, quid causæ sit, quod istic tenearis. *Illic, inquis, me tenent equites nostri, qui loca hac omnia persultant, certe animi pendeo, properem? cum periculo est, nec audet id quisquam mercatorum. Hæream? tempus mihi labitur itineri opportunum. Quod si diutius in his locis illa turba, delibero, Emdam redeam, an mari Hamburgum pergam, atque istinc Francofurtum.* Hæc est deliberatio tua, mollis & pusilli animi index, cui subjicis tragicam exclamationem : *O omnia molesta in hoc tempore!* parum, ut opinor, convenienter epistolæ, parum pro dignitate tua. Philosophus enim es, constantiæ autor & Professor, & quo nomine omnia comprehendimus, *LIPSIUS* es, quem nil nisi heroicum spirare decuit. Tu vero etiam impia subjicis : *Dii, ais, porro juvent, adhuc fero & resisto.* Impia vox est pluralitas Deitatis, ex Philosophorum lectione crebra adhærescens tibi : non quod ita sentias ; hoc enim aliter compertum est nobis ; sed quia, ut supra dixi, mentem nimis quam facile manus tua sequitur. Sed hac de re cum alii te monuerint, operæ præsentis non est, eadem multis repetere. Redis posthac ad laudes *Westfalia.* *Apud vos, inquis, quo loco res sint, scire velim. Nam hic qui inquiram? In Scytharum eremia mihi videor, nec inter homines satis certo. Omnes hic Suillii, Scrofa, Porcii, & uno verbo tui Hermanni.* Jam hæc est, utile ait, *συνταὶ πῆσις.* Nil potuit vanum magis aut insolens effutiri. Quod si quæram ex te, ut quid tibi solitudo videatur *Westfalia,* certum est mihi, ni mentiri voles, nihil profus habere te, quod saltem probabiliter respondeas. Sive enim urbium frequentiam & celebritatem voles, oppida sunt per *Westfaliam* plurima, ampla & populosa : sive indigenarum ingenia & animos spectes, facient, ut te pigeat tuarum opinionum : sive ipsius soli ubertatem desideres ; peragra *Westfaliam,* vide & cede verecundiæ : aut si nolis, crede hoc nobis & oculis nostris, qui vidimus ; aut si non nobis, da hoc *Chytræo,* amico tuo, qui vidit, & ut res est, & decebat, laudavit. Audi ipsum. *Soli, ait, Westfalici ubertas & bonitas multis in locis eximia est. Etsi enim in eo tractu, quem mercatores sapissime transeunt, regio vastior*

Uuuu uuuu 2

&

& incultior est: tamen ad *Vifurgim* & circa *Susatum*, *Herfordiam*, *Paderbornam*, *Warburgum*, *Huxariam*, & passim alibi fertilibus agris, ac ubique fere latissimis pascuis, glandiferis sylvis, iisque non incultis, abundat. Versus *Rhenum* & montes *Hassia* etiam ferri, cupri, plumbi & aliorum metallorum, ad *Corbachium* etiam auri venas non incelebres habet. Et terra bonitatem, omniumq; rerum ad vitam pertinentium copiam, frequentia hominum eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes ample & populosa *Monasterium*, *Osnaburga*, *Susatum*, *Alinda*, *Tremonia*, *Herfordia*, *Paderborna*, *Lippia*, *Lemgovia*, & cetera, recta descriptione & splendore adificiorum & civium multitudine ac humanitate, paucis in *Germania* cedentes, ostendunt. *part. Chron.* & *orat. sing. de Westf.* Audistin *Lipsi*? Saltem hujus viri auctoritas continere te debuit in officio verae praedicandi. Audi: *Si Westfalia* & urbium frequentia & celebritate, & incolarum humanitate, inter ceteras orbis Christiani provincias facile locum suum, ut facit, tuetur; *Scytharum* eremia ea minime fuerit. Si non est, ne appella tu. Si appellas, *Westfali*, quos injuria afficis, te mentiri dicent. Noli etiam scribere illa: *Nec inter homines satis certo*. Et *epist. 16. ad Petrum Colvium*: *hic, (in quo nidulo) teneor Oldenburgi, inter homines semihomines*. Quae verba ab sesqui asino prodita esse dicebant nonnulli, quod minime ferebam; *Sesquicanis* rabidi latratum esse, ut paterer, urgebant alii, sive *sesquivituli* ferocientis & exultantis impetum; frustra itidem. Nolim enim convitiis certare cum quocquam, minime omnium tecum, quem in plerisque omnibus venerari & colere didici. Quae vero animi moderatio, & virtutum tuarum admiratio cohibet me ab ingerendis maledictis & convitiis, ea permittit, ut temperata fortitudine utamur ad indignitates & injurias, quas à te patimur, à communi parente patria propullandas. Ut quid igitur semihomines tibi sunt *Westfali*? *Omnes, ais, hic Suillii, Scrofae, Porcii, & uno verbo tui Hermanni*. Parum hercle scite aut lepide. Veterum Romanorum familias [*Hermanni* enim vestri qui sint, scire nolo] recitas, sed minus accommodate ad praecedentia. *Laudabiles* fuerunt *Scrofae* & *Porcii* apud Romanos. Hic tibi haud certo homines. *Suillius* etiam apud *Scriptorem* [*Corn. Tac. homo fuit* sed cum multis aliis nequam & calumniator. *Riferunt viri docti* parum *salsam* argutiolam hanc, qua suum custodes ridere tibi libuit. *Quamobrem* vero non addebas, mutari *Westfalos* in? nolo dicere. *Quod* populari cuidam tuo cum narrarent olim in itinere *mercatores*

res Westfali, etiam persuaserunt. Sola namque hæc & hujusce-
modi infania ad tam insignem impudentiæ tumulum deerat.

Sane vero, mi Lipsi, semihomines sumus omnes. Audi pro
his nugis, quas blatis, divini pudoris plenissima verba incomparabi-
lis præceptoris nostri: *Illud, inquit, ante oculos semper habendum cen-
seo: Te meque alios omnes, nos homines esse meminisse: Qui si quid homo sit,
scias: facile te nihil esse intelligas. Ego vero nequaquam homines nos esse,
dicere consuevi; sed partes hominis. Ex omnibus enim aliquid fieri posse,
idque non magnum: ex singulis pene minus quam nihil.* Audi inquam,
hæc & his similia potius, & dedisce sic fati impudenter rodere no-
mina, & in ridiculis tuis argutiolis tibi soli placere. Ingenii tui no-
bilitatem relinquimus tibi; quantum libet, homo esto; dummodo
tu & alios suo quemque loco relinuas. Cave autem inprimis, Lipsi,
si forte in *Westfaliam* ad Porcios illos redeas; cave, inquam, verbum
ullum hujusmodi ex te audiant. Nolim enim te experiri re ipsa,
quam sint illi homines, & quidem vere Germani: apud quos rixas
raro convitiis, sæpius cæde & vulneribus transigi, satius est ex scri-
ptore tuo te discere, quam ex illis. *Cornel. Tacit. de morib. German.*
Sed porro: *o Batavia! inquis, o amiculi! vos mihi in mente & ad vos
adspiro.* Jam hoc facile patimur. Magno teneris desiderio amico-
rum? tenere: ad eos adspiras? etiam abi: non tenemus hic. Adeo
non invidemus Lipsium Bataviæ, ut etiam alterum, si habeamus istuc
mittere, si cupiat, non recusemus. Præferri etiam Belgicæ provin-
cias *Westfalia* nostræ non tantum libenter patimur, sed & ultro faci-
mus ipsi; pacem quoque qua mediocri hæctenus, Dei benignitate,
fruimur nos, etiam illis ex animo precamur; neque aliam gratiam
pro hac æquitate referri nobis cupimus, quam ut tu tui perpetuo
meminisse velis, neque hæc & his similia convitia, vel nobis vel
aliis posthac populis ingerere. Quæ sequuntur in hac epistola, præ-
tereo: partim quia non sunt de nobis, partim quia non intelligo, an
te decuerit nobilissimo viro de osculanda uxore scribere. Hoc in-
telligere videor mihi fati, non decuisse Lipsium clausulam illam de
loco postremam. *In barbaria, inquis, apud Pultiphagos.* Græcum te
esse, & quidem [ut nonnulli ajunt] Cretensem, jam diu est, cum
sciebamus; non nunc primum ex hujus Latino græce vocis scita
compositione didicimus. At cur non dicebas pultivoros; vorant
enim tibi haud comedunt Westfali. Sed mitto nomen. Tunc

Uuuu uuuu 3

pul-

pulvis usum exprobras *Westfalis*? utinam hoc vere faceres! utinam ne recessissemus, *Lipsi*, à majorum nostrorum frugalitate & parsimonia! multo meliorem & florentiorem rem tùm publicam, tùm privatam haberemus: tùm multo etiam melius valeremus. *Bona consuetudinis eorum* [inquit Val. Max. Lib. 2. c. 1. de majoribus loquens] quasi quadam mater erat frugalitas. Item: *Maximis viris prandere & canare in propatulo verecundia non erat. Nec sane ulla epulas habebant, quas populi oculis subicere erubescerent. Erant autem adeo continentia contenti, ut frequentior apud eos pulvis usus, quam panis esset.* Ecce *Lipsi*, etiam Romani veteres pulve vescerantur; ut, si idem faciant hodie *Westfali*, non dedecori id illis, sed laudi potius esse putandum sit. Vel hoc saltem argumento esse queat, quam sit ea gens præci moris, frugalitatis & constantiæ amans. Sed vereor, ne nimis multi sint per *Westfaliam* passim, qui vita sua laudes hæc tuas refutent. Itaque mihi verbis pluribus eas neque refellere, nec amplecti est animus, de Barbaria mox, & hanc epistolam quidem quod attinet, Vale.

Jano Hauteno sic scribis: *Cent. 2. epist. 14.* Ende cum die aliquot quievissem, partim recreandi mei causa, partim quia deerant curru: iter arripui *Bremam* versus, sed pede parum fausto. *Oldenburgum* ecce venis, (distat tertio milliari ab ea urbe) & undique cingunt nos equitum pedumque, qui in *Belgium* parantur. Supra castigavimus errorem hunc calcu, nunc progrediamur ad cætera. *Manendum in illo nidulo fuit, aut invidendum in Harpates illos, quibus nihil est sancti.* Hic *Oldenburgum* nidulum appellas, idemque facis epist. 16. hic (in quo nidulo) inquis, teneor *Oldenburgi*. Næ tibi hoc tantulum diminutivum os diminuat misere, si unquam revertaris *Oldenburgum*, & princeps ille suo jure adversum te uti volet. Magna subest in hisce tuis temerariis vocibus suspicio, te, qui jurisconsultus tamen renunciatus es, parum in eo studii genere versatum esse. Plane enim vel nescis, quid injuria sit, vel si scis, extreme audax es, qui hisce contumeliosis verbis sedem Generosissimorum Comitum *Oldenburgensium* vocitas, *Floruit hæc Comitum familia jam à multis seculis inæ primas per Germaniam; nec Comites solum nobis, sed illustrissimos etiam Holsæ Principes, & serenissimos Daniæ Reges, nostra, parentum & avorum memoria dedit.* Ad hos omnes hæc injuria pertinet. Quam illi, si non pro agnata clementia condonare tibi, sed ulcisci juris via

vellent, quid ageres miser? certe ob unicum hoc vocabulum, vel epistolæ hæ spongiis, vel autor (invitus dico) scuticis castigandus fuerit. Hæc tibi considerandum est, fatemur, *Oldenburgum*, haud ita magnum, itaque oppidulum appellasti aliquoties. Hoc concedimus tibi. At nidulum cur vocitares, non alia causa, quam animi tui libido, & superciliosus contemptus jubebat. Emenda obsecro & resipisce; *Muli si pœnitere possent, possent & incolumes esse*, inquit Historicus. Hoc tibi. Et placidum quoque ingenium atrox injuria accendit. Cave igitur, nec ipse tibi ultro accerse infortunium. Explicas deinceps consilium itineris tui. *Et mehercule*, inquis, *de tota via mea hæreo, ita multa à multis pericula audio, ita multa ipse video. Omitto molestias & rædia hospitiorum, præsertim, qua hic plus quam germanica.* Tum subdis barbaricum, quo tuum nobis animum, non patriam nostram depingis. *Crede mihi, ais, amice, barbaria nulla barbaria est præ hac Westfalia.* Insigne certe elogium, cui nihil addi potest, nisi veritas, quæ, si audire vis, hæc est: Quod Lipsium de *Westfalia* hic prodidit, mendacium est. Supra, de *Scytharum* eremia aliquid respondi tibi ex *Chytræo*: & ostendi, nullo jure à te *Westfaliam* sic appellari, sive urbes ipsas, sive terræ fertilitatem spectes, sive etiam incolarum ingenia intuearis. De his, si lubet, audi nunc plura. *David Chytr.* 1 part. *Chron. & orat. sing. de Westf.* Sequenti epistola de hospitibus differemus. Peperit natio *Westfalica* multos insignes doctrina & virtute viros: & nondum effœta parit quotidie, qui demonstrant, ingenia *Westfalorum* non amusa seu barbaria, sed ad literas, ad disciplinam, & virtutem, ad alias honestas artes idonea esse. Audisti, opinor, de *Alexandro Hegio, Daventriensi* scholæ Rectore quondam dignissimo, qui solus tibi pudorem, si non sit, incutere queat: ex cujus schola magnus ille *Erasmus, Johannes Murmelius*, & pluri alii exierunt. Repete ex historiis de *Rodolpho Langio & Hermanno Buschio*, & cessa maledicere. Inquire de *Hermanno Bonno*, verbi Dei in inclyta urbe *Lübeka* Doctore, & in vicinas gentes propagatore: ac, ut cæteros mittam, consule *Nathanem Chytreum*, amicum tuum, de *Arnoldo Burenio, Westfalo*, Reformatore & Professore *Academix Rostochiensis*, sene doctissimo & gravissimo, & desine *Westfaliam* barbaris convitiis incessere. Quod si etiam vivos vis, peragra regna, principatus & urbes, reperies passim in potentissimorum Regum & magnorum Principum aulis, etiam urbium florentis-

fimarum præsertim Saxonicarum curiis *Westfalos* homines ad Reipublicæ clavum sedere, & feliciter aliis præesse. Et latent in patria sua & alibi *Westfali*, quorum neque ingenia rideri à te, neque eruditio contemni, neque iudicia tuam contumeliam pati debeant: sed latent, neque scribendi cacoëthe famam venantur. Quos si nōris, vere usurpare possis illud, quod alibi scripsisti: *Quosdam mereri famam, quosiam habere*. Non recensebo tibi doctissimos Theologos, clarissimos Jurisconsultos, acutissimos Medicos & Philosophos, insignes Poëtas *Westfalos*; absunt enim illi ab omni ambitione longissime, & ego pariter ab adulatione. Nec advocabo huc solertes ludimagistros per *Westfaliam*: sunt enim fere omnes in hæresi illa, cui qui additi sunt, nunquam tibi magni erunt. Quod tamen si alius quispiam diceret, in Peripateticorum libris Logicis haud paulo melius *versatus*, quam tu; forte crederent. Tibi non credunt, quem putant instar furoris hic ultra crepidam processisse, nec aliis suam Trebellianicam relinquere voluisse. Et ut sunt homines illi pertinaces & iracundi, forte excedendum tibi cum aliquo eorum erit, quod hic tibi intristi.

Ex his pauculis, quæ dixi, constare arbitror, cum *Westfalos* barbaros appellas, barbarum esse, & à veritate aversum convitium. Superiora vero illa, quæ de *Westfalorum* ingenii commemoravi haudquaquam ita accipi velim, quasi hæc propria sint *Westfali*, ac non communia cum multis: non. Sine comparatione illa accipi volumus, nec aliis nationibus, vel tantillum his laudibus detractum. Non tam bardi sumus, ut nesciamus laudare unum, nisi id fiat ruina nominis alterius; quemadmodum tu facis, cum subicis: *Carere Germania fere vidi, quid dicam? delicia ille locorum & hominum sunt, si cum istis comparentur*. Assuesce quæso frugalius & cautius loqui, nec semper cum comparatione. Videres vero alios per Germaniam populos, quos nominare nolo, excuterent tibi istam comparationem, per quorum regionem si iter facias, nec panem in pera gesses, elarries tibi findat latus. De hominibus jam respondi: locorum delicias quas appelles, oppido scire velim. Si enim solum ipsum intelligi vis, jam hoc falsum esse ostendi. Sin lautitiam & victum splendidiorum; neque penitus verum, neque penitus, fateor, falsum est. Sane vivunt alibi homines lautius & splendidius. At jam dico tibi, fas fuisse, verba hæc non à Lipsio, sed muliercula quapiam pronunciari. Carere volumus nos hisce non solum deliciis, sed & cupiditate.

tate earum, quæ corpus animumque virilem effœminant. De Spartanorum legislatore Lycurgo legisti; [*Val. Max.*] quod civium suorum oculos à contemplanda *Asia* legibus retraxerit, ne illecebris ejus capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Tu audes etiam delicias, ut magnum humani generis bonum, prædicare? Heliogabalo cupiam aut Sardanapalo isthæc ostenta, haud nobis, qui corpora & animos nostros disciplina, labore & patientia durari volumus ad virtutem & roborari: nolumus, Spartanorum exemplo, tenacissimos patriæ nervos, externarum deliciarum contagione hebetari & solvi. Audi hac de re Chytræum pro *Westfalibus* differentem, ne insolens videatur tibi nostra de nobis oratio. *Domi*, inquit, & privata & publica disciplina, ad pietatem, ad virtutem, & omnia justitia officia, & præcipue ad laborem adfuescunt. Ut autem homines nihil agendo male agere discunt; ita rursus honestis laboribus mala cupiditates & vitia reprimuntur. Itaque cum *Westfalia* sit pariens operum, parvoque adsueti juvenus, & corpora laboribus durentur, luxum & voluptates aspernantur, & de pluribus bene mereri, & postea molestias ac onera gubernationis, ad quam in his etiam propinquis urbibus plurimi adhibentur, facilius perferre possunt: imo ad gubernationem eo studiosius provehuntur à prudentibus, quia bene parere honestis imperiis & officiosi ac diligentes & fidi in mandatis sibi functionibus esse à pueris adfueverunt. Hæc laudes, *Lipsi!* perpetuæ sint *Westfalibus*, habeant animi sui epulas, laborem & sudorem, & his partam virtutem; tum corporum, apparatu modico, quantum satis est, cibi: & relinquent, scio, libenter tibi & aliis suas cuique delicias. Reliqua hujus epistolæ pars nos non attingit, nisi quod de loco ascribis, quem apponere non potuisti, nisi eum etiam aliqua insolentia tuæ nota insignires. *Oldenburgi*, ais, ex *hara*, quam hospitium appellant. Quid aliud, quam tacitam? nisi illud dixero, non esse tibi ad fontes illos acidos usque adeo properandum, ob corporis curam; quin *Anticyras* naviges prius, & elleboro mentem purges, ne hæc atque talia posthac tam insolenter & inconsiderate effutias. Isthuc igitur abi *Lipsi!* & vale.

Supereff epistola 15, ad *Johannem Heurnium*, supra modum elegans & festiva; qua de hospitiiis potissimum agis. Videamus. Ego, inquis, mi *Heurni!* quod vos medici miremini, vivo. Si, quemadmodum scribis, etiam vivis, *Lipsi!* & nos miramur te vivere. Os modestum & verecundum manusque puræ & innocuæ, tuto peragravit orbem terrarum, ut vulgato Germanorum fertur proverbio.

De manibustibi credo. Linguae petulantia & acerbitas vitam eripere tibi potuit; si, ut dicebam, loqueris etiam, quae scribis: nec instar agni Aesopici, ex alto tantum maledicis praetereanti lupo. Miramur igitur quidem, sed gaudemus tamen, te adhuc vivere. Quam obrem verò? *Passus enim, inquis, in hoc Westfalo itursum, quae nemo olim Cynicus aut patientiam professus.* Miselle Lipsi! passus es tam gravia? patere verò, perfer, obdura; Sic itur ad astra. *Per varios casus, per tot discrimina rerum, tendimus in patriam.* Sic argutus aliquis jocetur tecum: Infacetiusculi nos haud assequimur acumen tuum aculeo. Languidè sic satis & frigidè haec dicta arbitramur, tanquam alius diceret, haud Lipsius. Sed videamus, quae perperius sis.

Omnia humana, inquis, mala me exagitavunt, ab aere, ab aquis, a cibis. Quomodo? *Venti & pluvia perpetua, cibi, non dicam barbari, sed vix humani.* Quare non addebas catarrhos, febres, scabiem, calculum etiam & pulicem morfiunculas? quae omnia precanda tibi sunt, ut bonus fias. *Valetudinem meam nosti, & quam ea praecipue mihi sumenda dilectu dapum.* Sanè haec, & quae praecesserunt epistolarum, testes sunt satis locupletes dubiae sanitatis tuae. Quam tamen haud firmioris, opinor, dapum dilectu: cucurbitas adhibendas censeam, aut elleborum, quo mentem recipias. *Ecce, inquis, in hospitii, sic appellabo, etsi revera stabula illa aut hare potius.* Ecce tu Lipsi, si jam tuus es, motae mentis tuae argumentum & specimen. Rusticorum casus [de pagis enim loqueris] quae hospitium tibi praebuerunt, & pudertuo, si quis est, parcere debuisti; nec hospitem mentem & lecturam aut stabulum furiose appellare. Saltem hanc gratiam debebat rusticis, qui te in eremia illa, ut vocas, tecto receperunt. Meminisse debebas, quae scriptor tuus de Germanis scribit: *Quem non quae mortalium, ait, arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quisque apparatus epulis excipit.* Meminisse, inquam, haec debebas, & pauperem etiam apparatus apud pauperem hospitem æqui bonique contulere. **NEQUAM SERVUS EST, QUI MELIUS QUAM DOMINO, ESSE VULT SIBI;** & hospes, Lipsi, qui melius, quam hospiti.

Age verò, quid tandem in hospitiiis? *Primo inquit, ais, poculum illud quod obrusum cerevisia olentis.* Puerum quempiam ab ubere matris primulum raptum audire videmur. Malè te habet oblatum cerevisiae poculum, Lipsi! gratiam habere debebas, Aliorum ventres, & pro

pro strato terram, pro tecto cœlum, pro cibo famem, pro potu sitim haberes. *Cerevisia*, inquis, *olentis*. Equidem *cerevisiam*, quæ nihil oleret, gustare mihi nondum contigit. Quod si malè olebat illa, de qua scribis, huic quidem malo quàm facilè mederi poterant *Westfali*, & fecissent libenter, factò tibi suffitu, si scissent. *Aut venis*, ais. Sanè ita decet *INTRA TEGETES TENERE PEDES, NI FRIGERE VELIS*. Tenuem *cerevisiam* bibunt tenuioris fortune homines, qui accepti & expensi rationes putant cum pera.

Et sape à recenti coctione calentis. Sic est, *Lipsi!* semper à recenti coctione calet *cerevisia*. At tu frigidam bibisses, neque propterea, me sponfore, discessisses à vita.

Nec fas recusare, ais, *nisi elegisses expelli*. Hoc tu dicis. At nos, bona venia, non credimus tibi. Quemadmodum in univèrsam apud Germanos olim, sic etiam hodie apud *Westfalos*, quemcunque mortaliū arcere tecto, nefas habetur. Quanquam si te domo sua exegissent, magno tuo merito fecissent, qui in Deos hospitales usque adeo es ingratus. *Hic gustulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot aut scrophipascis eadem illa potio sapius iteranda*. Sanè, nisi tu nolis, iteranda potio sapius, fatemur. Etiam ad ignem sedent more veteri, & sedent in pagis quidem aurigæ, & ut appellas, scrophipasci; haud Philosophi, Stoici, vel Peripatetici, quos in suis quosque porticibus & Lyceis reperias. Sed quo tu iterata isthac potione abeas, satis scio. Haud semel hoc te ungue scabis. Crapulam exprobras hic & alibi sapius Germanis. Verè quidem, bonæ parti eorum, fateor; sed non pariter verecundè & decenter. Eos tu, quoties libet, Cantharos, Saturos, Pifces etiam, opinor, quod liquore gaudeant, contumeliosè vocas. *O Pifces! pifces!* inquis, *non hæc aqua, in quâ vos natetis, & magis vobis faciat ille ab Citharone liquor, quàm hic ab Helicone; Cent. 1. ep. 20.* Scilicet, quia maledicam & mordacem ac quavis proscriptione dignam Satyram tuam non pro opinione tua acceperunt patienter, nec decus suum & libertatem tuæ libidini sic satis inhonestè gratificari voluerunt; hinc jam ipsis nullus ad Heliconem patet aditus. Haud ita est, mi homo! Nec quia de Cithæronis liquore bibunt Germani, de Heliconis fonte non hauriunt etiam quantum satis est ad tuendum locum inter vos & cum vobis suum. Alibi modestior es & verum amas: *Homines*, inquis, *etiam illa rellus alit ingenio doctrinaque pares nobis; fide & virtute meliores. Experiris ipse, & magis experieris quotidie, si*

X x x x x x x 2

omis-

omissa inanium specie de re iudicabis ex re ipsa. *Cen. l. 1. ep. 28.* Sed de largiore invitatione Germanorum agendum quid sentis? Fulget in caelo crater sidus. Quam ob causam putas? Haud ob auram Indicum opinor, sed quod Creticum contineat, aut ambrosiam. *Extra-jocum, Lipsi!* sunt in Germanis viri virtute & doctrina praestantissimi, qui minime delectantur quidem ingurgitatione cibi potusque nimia; & tamen interdum, ubi res postulat, in aulis Regum & Principum, in legationibus obeundis aut audiendis, in tractandis hospitibus Principum suorum nomine & jussu [more jam per Germaniam inveterato, etsi non undiquaque laudabili] haud paulo plusculum bibunt quam fatis sit forte tibi & aliis, qui capita, ut ajunt, non hominum, sed pullo- rum gestant: neque propterea minus officium suum strenue & graviter faciunt: sed & mentis suae sunt bene compotes, & memoria valent, & eloquuntur quae volunt, diserte & suaviter: nec dormiunt propterea in lucem multam, sed surgunt mature & recte valent. Lo sunt animorum corporumque robore. Hi viri, qui, ni juberentur, non facerent, & cum jubentur, facere possunt, tantum abest, ut Canthari & Sauri contumeliosis verbis à te vocari debeant, ut multis partibus preferendi sint infirmioribus & debilioribus, qui, ut in proverbio est, cum semel bibunt, bis ebrii sunt. Quod si non hos, sed afotos intelligis, jam hoc aliquid est: sed non debuisti ab iis solis totius calumniae facere initium, nec fortissimam & nobilissimam gentem Germanicam ab quosdam acolastos impudenter & contumeliose universam tradotare. Hoc hic te ad ituratam potionem monere volui. Videamus nunc quae sequuntur.

Cum solenni, ais, elegantia ad singulos potus porrecta manu. Nondum deposuisti irrisoris personam, quam induisti semel. Rides morem Saxonum, in manuum porrectione; nos tuum ritum. Vetus admodum mos est, in societatibus & amicitiiis dextras miscere. *Scriptor tuus Corn. Tac. lib. 2. Annal. inter qua, ait, ab Rege Ariabano legati venerunt, miserat amicitiam ac foedus memoraturos, & cupere renovari dextras.* Et *lib. 12. Mos est regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras.* Item *lib. 17. Miserat civitas Lingonum, vetere instituto dona legionibus dextras hospiti insigni.* Et ex Tito Livio didicimus: Fidei sedem in dextris sacratam esse. Etiam Graecorum verbo in amicis deligendis *παρι δεξιαν ἐμβάλλειν* jubemur. Haec etsi non ignoras [quid enim aescis tu?] patere tamen obsecro me recensuisse, quae aliis indicentur quam

quam sit mos hic vetus, quem nos Saxones inter cæteros orbis Christiani populos paulo tenacius retinuimus. Nec movet nos, quod parum elegantem consuetudinem eam iudices. Tibi ita videtur:

ἀλλ' ἰσὶ θαιμάζεις τῶν ἐτέροιον γέλω.

Heustu. Simples sumus, aperti, fidi; non aliud in lingua promeum aliud pectore clausum habemus. Cui manum ultrò porrigimus, huic ex animo benè volumus. Hunc nobis & animum relinque & morerem. Tu tibi, si vis, habe inclinationes, incurvationes, capitis in humerum reflexiones, manuum osculum, tum pedum, quantum vis, strepitum, etiam genua salutandorum apprehende; & si quid aliud ridiculæ gesticationis à circulatoribus mutuari voles: haud mutaverimus cum his omnibus manuum apprehensionem nostram, fidei & gravitatis priscae testem: qua magnæ virtutis & autoritatis Principes viros etiam hodie per Germaniam, præ illis, quas dixi, inanitatibus, delectari scimus. Sed nunc tandem ad mensam accedamus: *interea*, inquis, *mensa sternebatur*, [non dicam de mappa, nosti:] ne nos quidem de mappa dicemus, cum nolueris aperire nobis cuiusmodi ea fuerit: ipsos missos videamus. *Calor*, inquis, *meus inhiabat in cibum*: sed heu, primum ferculum è lardo spisso, pingui, & addo, crudo. Heu! & ò Lipsi, lardum tibi opposuerunt rustici? idque spissum & pingue, & ut tu [opinor de tuo] addis crudum. Nec enim cruentum vorare solent, sed vel coctum, vel sale maceratum & induratum fumo. Quod ipsum si crudum est tibi, jam multis crudis vescimur mortales, sine ullo tamen vel vitæ vel valetudinis etiam detrimento. Sed non sunt hæc tui stomachi. Magnam profecto debes diis tuis gratiam, quod ab his dapibus abstinuisti. Ni fecisses, in eo erat, ut morereris. Abi delicatule, abi in mollicularum mulierum cæstum. Cultus magna cura tibi, magna virtutis incuria, inquit apud Ammianum Cato, in not. pol. Quod tu ita explicas nobis. *Honestum*, inquis, *ei vile est, cui corpus nimis charum est*. Egregia verba, sed quæ plus sapiant, quam qui ea recitabat. Recordare quæso tui, à quo tam sæpe diversus abis. Memineris, quid de Caro Imperatore ex Synesio alibi commemorares. Cibus, inquit Synesius, erat vetus aliquod nigrum pulmentarium: & in eo frustula quædam salsa suillæ carnis. Et quæ sequuntur Lib. 2. Pol. Tum concludis tu: *Ita me Deus*, inquis, *amet, hac virum olent, imo heroem*. At tua, Lipsi! verba in hæc epistola, effœminatam scœminam scœminam. Væ misere Batavia! si tui

Xxxx xxxxx }

simi-

similes habeat cives imbelles. Quamdiu factum esset, cum expugnata hostile pateretur & ferret jugum? Apage sis istam animi molitiam, apage verborum insolentiam, qua pultis & lardi usum exprobras rusticis. Hæ sumimorum etiam Imperatorum dapes fuerunt. Et *Romani* olim commibatam in aceto, frumento, lardo, hordeo & paleis in annum repositum habebant, quemadmodum ex Capitolino lib. 2. Pol. refertur tu: & ut idem hodie fiat, præcipis. Quorum si meminisse velles, facile intelligeres, quam parum te deceat, de lardo apposito tam stulte exclamare. Quid verò facies? cum in cibum haud admittatur tibi, & nefas sit, non aliud poscere, sed, quod non habeas, apponere? Specto, inquis, & traccio, & buccellæ aliquot panis frango. Atq; ut inam panis! sed re vera, mi Heurni! si colorem, si pondus, si tantam faciem vidisses, juro tibi, pejerasses de pane. Ater ille, gravis, acidus, & frumatus in massam, quaternos aut quinos pene pedes longam, quam ego nec elevassem. Profecto abest hinc pudor. Velcitur vulgus rusticorum & familiæ etiam civium, in quibusdam *Westfalia* locis, haud candido pane; sed colore subnigro & paulum flavescente. In caulâ est, non filigo; sed quod in massam majorem formantur panes, atque ideo ut percoquantur, nocte tota relinquuntur in furno, oblinito ejus ore. Pejerare autem de pane, ejus interest, qui à gustu commonestatus non sit. Jurare verò pejeraturum alium, hominis est, ut aliud nil dicam, vani & ventosi. Neque verum est, quod de longitudine & pondere scribis. Massam binos pedes longam plus millies vidimus. Ad eam non potuisti, quin pro liberalitate tua alterum tantum, & paulo amplius adderes. Massam panis atrî per *Westfalia* vidisse te pedum quaternum aut quinum, ternum pedum mendacium est. Etiam vidimus, qui panes ternos & plures gestarit. Tam verum est, quod scribis, elevare te non potuisse ejusmodi massam unam; quanquam de te verum esse potest. Nec enim perinde, ac animi vires, etiam corporis tui robur cognitum habemus: neque in eo, sive verum sit sive falsum, quidquam nobis est. In sequentibus namquam facetus es, & ridiculus. Ais: *Plinius* mihi ibi in mente, qui de hac aut finitima gente scribit: *Miseram eam, qua terram suam ureret. Ego verius, miseram, qua terram ederet.* Primum valde arridet nobis modestia tua, quod, cum certum non scires, an de *Westfalica* gente hoc scripsisset *Plinius*, per *Dialecticam* mendacii castigationem verum profiteris; & de hac, ais, aut finitima gente. Sic decebat. Per *Westfalia* enim, que vlt

vis fructiferis & cædis passim abundat; pauci admodum terram urunt. Sed hoc inferiores tibi videntur aliis, quod non urant, sed edant terram suam. Hanc miseriam, *Lipsi!* si Deus Opt. Max. ita velit, perpetuam nobis esse velimus. Avertat ille a nobis clementer hostium incursiones & urbium direptiones, quas minari nobis videtur, circumfusis undique turbis. Avertat pestem & famem; verbi sui depositum apud nos, servet purum & illibatum; & terram illam, quam vocas, cum devota gratiarum actione libenter frangemus. Nolumus nos colorem in pane secundo alium, facile mutaturi opera nostra, si velimus. Ad hæc, ne sis nescius, vescuntur *Westfali*, præter hunc secundarium, pane candidissimo maxime solutilli: quem tibi, tum in pagis versanti, & quia ignorabant quantus vir esses, forte non apposuerunt. Posthac, *Lipsi!* non scenum in cornu, sed chartam gesta, cui, qui sis, inscriptum sit; ut moniti hospites candidum tibi panem postmodum apponant. Sed videamus alios missus. *Diu expectato*, [inquis] ecce, tibi caput jam cena patina grandis, plena brassica confecta. *Ea juxulenta est* [virulentam mihi calamus scribebat] adipe porcino ad digitum, eminente atque superstante. Hoc profecto est, *Lipsi*, quod Saxonum proverbio fertur: **HOMINI INSOLENTI ET SUPERBO UNCFIUSCULUM ESSE OLUS**. Itaque ejusdem insolentis spiritus verba subdis: *Hanc, ais, ambrosiam non comedunt mei Westfali, sed vorant.* Comedunt, *Lipsi*, avidius, qui laboribus corpus exercent & famem obsonant, quam qui veterno & otio marcescunt. Et habent rustici in pagis brassicam hanc ut ambrosiam, laudabili patientiæ & continentiæ exemplo, sed minime, ut tu vis, novo. Nam & Horatius olim, cum vitæ rusticæ desiderio teneretur, de his dapibus cecinit lib. 2. serm. Satyra 6.

*O quando faba Pythagora cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo!*

Et per Germaniam universam vescuntur oleribus non rustici tantum, sed etiam cives & Nobiles. Quod tu præteris, tam securus judiciorum posteritatis, quam veritatis vel contemptor vel ignarus. Verum ad has epulas nauseastu & fames. *Ad extremum* [inquis] passulas aliquot è sacciperio meo haurio, quas cum pane lentè gusto. *Lipsi!* agrum stercorares; aratri flivam teneres, & arantes boves sequere; demeteres segetes, aut trituras; idque ab ortu solis ad occasum; nec lentè, scio, gustares cum passulis panem. Quod si ea fa-

ce-

cere nolis, noli iis qui faciunt, cibi appetitum vorandi verbo expru-
brare. Eamus porro. *Invidiam*, ais, *ea res habuit, & sermonem, sed*
ego cum hospite convivas iratos habere malui, quam hygeiam. Hoc omi-
tere poteras, partim ut superfluum: partim etiam debebas, ut fal-
sum. Novimus, etiam tacente te, elatas cervices tuas, & catero-
rum contemptorem, animum. Et de hygeia offensione quod scri-
bis, non credimus tibi, qui scimus nonnullos comestione oleum,
mitiorem sibi reddidisse deam illam: quod tibi omnium rerum scien-
tissimo, non debeo pluribus exponere. Extremum serculum vide-
amus. *Caseus*, inquis, *fuit, sed ita putridus, ut diffunderet.* Hoc tamen illi
habent ut cerebrum Jovis. At tu hic cerebrum habes in lingua, cum
miserum caseum putredinis accusas, qui forte ob pinguedinem &
acrimoniam a vermiculis sit erosus: cujusmodi ex *Succia* in *Saxoniis*
complures advehuntur, in *Westfalia* partim etiam premuntur. Quos
si grati saporis esse negas, gustus vim in oculis, haud ore gestas. *At-*
que in pagis, inquis, *ista.* In oppidis haud multo meliora, nisi quod illic et-
iam *pisces nobis plerumque appositi ex his, qui Norvegia adferuntur sale in-*
durati & vento. At panis e siligine eadem. Cum sine pudoris iactura
negare non possis, in praecipuis urbibus *Westfalia* [si tamen eas vidi-
sti] satis prolixè & eleganter accipi & tractari hospites: neque ta-
men verum fateri velis: leviter admodum, praeter morem tuum,
delingis has epulas, & haud multo, inquis, meliora in oppidis. Deinde, ut
soles, ad illud ia transilis. *Hos cibos*, ais, *edere jam didici, imo conque-*
re: & si ad vos unquam redeo, virum videbis, siue passerem marinum potius, qui
vorare didicerit inferum; Ad quæ nihil aliud respondeo, quam digna
esse ludione suo hæc illud ia. Mensam iustravimus: visum eatius
lectum. Ais: *Vis etiam lectum? plane electum.* Placuit tibi silvarius-
culo Rhetori verborum ille reflexus & responsus. Sic paulo ante
brassicam jurulentam appellabas, & mox virulentam. Item alibi se-
pius tibi places in hisce gerris. At virum gravem & Philosophum,
Lipsi, cujusmodi tu es, temperare decet ab hisce argutiis. Sed vide-
amus. *Lectica*, ais, *pleraque in ordinem ad utrumque latus.* [iuxta eas vac-
ca, equi, vituli: supra, pulli & gallina: subter [restor fidem] porci. Jam
primum de ordine lecticarum quod scribis, accipimus. Per *Saxoni-*
universam hunc morem videas. Etiam juxta lecticas vacca & vitu-
li stabulantur interdum. Supra eas, pullos & gallinas quiescere nun-
quam vidimus, sed fere in tigillis, ad fores domuum suspensis. *Hæc*
etiam

etiam in domibus rusticorum vix unquam invenias, sed extra eas seorsim. In maritimis quibusdam ansæ Saxonica civitatibus citius reperias pauperem mulierculam, subter terram in cella habitantem, & haræ incubantem. In pagis rustici haud ita angustis terminis circumcluduntur. Quamobrem vero, cum tam diligenter omnia explicueris, non addebas etiam cujusmodi monstrum in lecto jacuerit. Composuisses hoc pacto bellum & certamen, quod est ea de re inter nonnullos; quorum alii canem rabidum, alii bovem cornupeatum, alii impudentiusculi calcitrosum asellum, alii aliud, nescio quid, fuisse contendunt. Mihi ea curæ non sunt. Lectum ipsum videre malo: *De pulvino, inquis, aut linteis, oro te, noli querere. Mendicorum nostrorum tegetes longe meliores ac puriores, aut centones. Itaq; per dies totos octo vestem non posui.* Sane, cum hæc legimus, *Lipsi!* ad commiserationem movemur, quæ eò acerbior nobis accidit, quo minus opitulari tibi posse videmur; nisi fortasse vota quid valent, quæ libenter pro te concipimus, & optamus tibi, ut vel cochlea fias & domum tuam tecum portes: ita nimirum arbitrii tui fuerit, devitare istos multiphagos & tegetes, mendicorum vestrorum centonibus foediores: nec lis erit tibi unquam cum vicino de stillicidio: vel cum poëta illo in pulicem muteris, atque in collo aureola catella victus, in deliciis virgunculæ alicujus sexagenariæ habearis, cuius delicatulum sanguinem sugas interdum, tum salias aliquantisper; post in lectulo satur te colloces. *Scalig.*

Pervenimus ad pulcrum illud corollarium tuum. *Duas, ais, noctes dormivi in aperta navi sive cymba, in Honta flumine, sub puro Jove: idq; caelo pluvio & ventoso.* Crassiusculi quidam in Philosophia naturali haud intelligebant, *Lipsi!* quomodo puro Jove cælum pluvium esse queat. Hoc explicasses. Ego in sermone ipso allucinari te non posse jam pridem mihi persuasi; itaque aliter accipio & interpretor. Sed ad rem. Aër humidus optimum est, ut ille ait, viaticum ad nihil valere. Eò majore cum admiratione excipimus epiphonema illud, cum ex imo pectore, velut suspirans, ais: *Post hæc tamen omnia vivo.* Post hæc, *Lipsi!* tanta, tot, tam gravia mala terra marique exantlata? Etiamne vero paludamento carebas, cum in aperta navi sub cælo pluvio dormires? ò factum male! corrige. Tempus lanitondii instat. Erinaceum tonde, & contexe tibi, quo utaris potest. Est diis tuis gratia, quod te semel ex his tantis periculis liberarunt.

Y y y y y y y y

Non

Non est sapius periclitanda salus tua, & in ea etiam Reipublice literaria.

Claudis dehinc epistolam callida & faceta scilicet calumniarum excusatione. *Jocosa*, inquis, *habes*. Quis hoc non credat? & vero ego nihil aliud, quam jocatus sum tecum. Heus tu *Lipsi*, audis sine? Joca non canum sed ovium instar mordere debent auditores. Abi hinc in malam rem cum istis acerbis jocis tuis; nimis graphicus es in re seria nugator. Recte tamen purgas: nam tua illa, *jocosa habes*, nihil aliud sibi volunt, quam hoc quod dicam: Quae *Lipsi* de *Westfalia* dixit, vera non sunt. Subjicis. *Quid aliud mihi libet natali die?* Sic est: meminisse dulce, quod durum fuit pati. Quid vero si haec tacita abs te essent? Opinor, medico tibi opus fuisset & pilulis purgantibus. Nunc non est. Postquam enim *expromisti* & *evomisti* omnem animi tui bilem, & virus in miseram *Westfaliam*, ipse est sanum te fore. Perge vero si quid est etiam reliqui ejicere, ne dubita. *Carmen*, ais, *pro methodo tua habes*, sed quod non dabit *alibi hanc gentem*. Quae postrema hujus epistolae cauda, sane cauda est. Medicus etiam apud aegrum est & aegritudinem intelligit, nihilominus tamen & ipse & ejus cerebrum sanum est, modo haec, quae tu hinc dicis, ne dicat. Sed bene est, ut aiebam, quod ejecisti: jam convalesces. Sanum speramus in te sinciput & mentem meliorem quam ego tibi, una cum corporis valetudine, à Dei benignitate, & animo, etiam atque etiam precor.

Haec fere sunt, *Iuste Lipsi!* quae visum mihi in praesentia acerbas tuas in *Westfaliam* potissimum epistolas respondere. In quibus, quod & initio dixi, hoc unum spectavi, ut debitam patriae pietatem praestarem, & te verecunde & modeste tui ipsius monerem. De illa haud negabis verum esse, quod non tantum vulgo fertur, sed etiam magnorum Principum symbolo celebratur: *Honestum pro patria*. Quo pertinere videtur illud familiaris scriptoris tui, cum ait: *Lentis nobis esse licere in nostro dolore, Republica injurias haud largiri*. Itaque injuriam patriae meae, atque universae adeo Germaniae à te delatam, ea qua licebat animi & verborum libertate propulsare contutus sum. Hoc viri cordati haud reprehendent, & ne tu quidem opinor. Convitia nulla ingessi tibi, probris abstinui, ob omni acerbitate temperavi; nisi quid ejus forte alicubi ex tuo sermone sumptum & in te retortum est. Hoc ita fieri solet, cum in refutatio-

versamur, & indigna patimur. Cæteroquin ad te quod attinet, extra has injurias, præstantissimum te Philosophum esse judico; virum plena eruditione & virtute multa; cujus haud paulo plus haberes, si alienam amares. Gloriam, *Lipsi!* cum modo habere si velis: si in iis, quos probas, ipse esse studeas, qui, ut Comicus, inquit: *Quicquid est incolum non expromunt, bene costum dunt.* Si ex ore tuo nihil neque insolens, neque gloriosum exire patiaris; si verba tua mentem præcedere nolis: Si ab injuriis adversus Imperii ordines & nationes universas cumprimis temperes; Si hæc, inquam, facias, jam par erit virtus eruditioni tuæ, & tum ex hac, tum ex illa parta egregia fama longe anteibis cæteros, & pro mortali, gloria æternus fies. Et facies, *Lipsi!* spondet animus & verba tua, Cent. I. epist. 80. *Judicia, inquis, multorum experior valde in me pronâ. Quorundam etiam adversa, fateor. Et cur offendar? scio, quod sepe merito. Item alibi, cent. I. epist. 58. Ego, inquis, de meo sensu novi & attestor, libentissime me, sicubi deflexi, non corrigi solum sed corripî: certe cum de anima mihi constat corrigentis.* Hæc pudoris & candoris divini plenissima verba tua magnam & propemodum certam nobis spem faciunt, fore ut apologiam pro patria nostram, & quæ huic connexæ sunt, monitiones verecundas, æquo animo accipias; quicquid hic abs te peccatum est, emendes; à maledictis in futurum abstineas; cum non ex beneyolo tantum animo, sed & eo, qui virtutes tuas magni facit, & te ob ipsas veneratur & colit, certo proficiantur. Quod si acriuscule alibi à nobis ad dicta oculos & mentem convertas; Livianum illud meminisse te velim: *satis superq. humilis est, qui jure æquo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo.* Inviti descendimus in hanc arenam, nisi laceffiti essemus, minime facturi. Patriam defendimus; decus & libertatem nostram tuemur. Nihil detrahimus tibi. Laudes tuas non solum relinquimus tibi libenter, sed etiam liberaliter cumulateque deferimus. Miramur virtutem (sic alii mecum sentiunt & loquuntur] suspicimus insignem eruditionem tuam: laudamus studium erga Rempubliam literariam. Coluimus te jam pridem intimo animi nostri sensu. Cupimus esse amici, nisi tu nolis; amici, inquam, tui *Lipsi,* sed amici ut ille **USQUE AD ARAM**; sic nos **USQUE AD PATRIAM**. Hic noster de te sensus est; hic erga te propensus sincerus animus. Tu vero, præstantissime

Yyy yyy 2

Li-

1460 *Apologeticus Domanni pro Westfalia, contra Lipsium.*

Lipsi, & sic habe de nobis, & ad te, quæsumus, revertere; & omiſſis iſtis inanitaibus magnitudine tua indignis altiora & ſublimiora cogita. Explica nobis ea, quæ te rogavi ſupra. De ſtylo & imitatione jamdiu aliquid expectamus. Grande operæ præmium erit, certi aliquid hic deſcribere juventuti. Perge nobis dare de Ethicis, de Politicis, & ſi quas alias ingenii tui felicitates nobiſcum communicare voles. Hæc atque hujusmodi alia tracta, *Lipsi*, quibus, cum immortalis nominis tui gloria, bene merearis de literis, & debita ſtudia de te ſibi multa pollicenti poſteritati perſolvas. Vale

